



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. XXII. Reliquiarum. Sacræ Rituum Congregationi mentem suam aperit Author, quid decidendum videatur in pia Lite duarum Ecclesiarum de Corporibus SS. Marini, & Aniani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

nossen haben, will scheinen, daß solch Salarium pro conveniente, & ex mente Domini Fundatoris debito bis auf diese jüngste Zeiten agnoscirt ist worden; zu welchen Zeiten, weilen rerum venalium pretium nicht allein nicht gefallen, sonder vilmehr gestigen, nicht minder pro sustentatione congrua will erforderet werden, und also was vorhero darzu nothwendig erachtet worden, auch bis dato nothwendig bleibt.

17.

Ist also meine doch unvorgreifliche Meynung, daß erstens ihme Herrn Organisten ein convenables, und zwar juxta mentem Domini Fundatoris liberales Salarium, und Bestallung zu schöpfen, damit selber sich ehelich unterhalten, und seinem Stand gemäß ohne Noth anderwärtige Nahrungs-Mittel zu suchen leben könne. 2. Weilen Herr Fundator solches Salarium, und dessen Quantität nicht determiniret, aber usus dein lecutus, & perpetuo observatus seine Mentem genugsam andeutet, scheint, daß solches nicht zu vil wäre, wann hierzu 200. fl. assigniret wurden. Solte aber dieses eintweders

einer Hochgräf. Administration zu vil, oder Seiten des Herrn Supplicanten zu wenig scheinen, so könnte 3. Considerato usu, & consuetudine aliarum Ecclesiarum, so Salairte Organisten haben, und beynebens in Consilium adductis circumstantiis, præsertim mente Fundatoris hætenus explicata, & currente annona pretio, Arbitrio boni Viri die Determination geschehen. Und so man alsdann finden wurde, daß ihme Organisten diese verfloffene Jahr hindurch wider Intention Herrn Fundatoris zu kurz geschehen, solle 4. Auch circa Stipendia lapla, massen voluntas Testatoris, aut Fundatoris obligationem ex justitia denen Executoribus aufburdet das jenige zu vollziehen, quod ex ultimo ejus elogio solvendum est aliis, wegen des Abgangs ein Vergleich getroffen werden, damit also, quod destinatum est ad certos pios usus, in eisdem infumatur; obwohlen ganz billich, daß ein Residuum pro futuris casibus, & si necesse sit, organovitium passio, pro reparatione illius, factu inngehalten werden.

CONSILIUM XXII.

In Causa Reliquiarum SS. Marini Episcopi & Martyris, & Aniani Diaconi Confessoris.

SUMMARIUM.

1. *Seqq. Facti Species.*
7. *Controversia, an Corpora, in Wiltparting inventa, sint identica cum veris Reliquiis SS. Marini, & Aniani?*
8. *Argumenta pro identitate. Nam Corpora Sanctorum istorum sepulta fuerunt in Wiltparting, nec hætenus aliò sunt translata:*
9. *Consequenter præsumptio est pro identitate Corporum inventorum cum Corporibus Sanctorum.*
10. *Confirmatur hac identitas tum ex situ, & aliis indiciis, cum quibus Corpora sunt inventa.*
11. *Tum ex eo, quòd Rotta, quòd Corpora SS. dicuntur translata, nihil de istis invenitur præter cranium S. Marini.*
12. *Accedit his devotio populi ad locum sepultura; beneficia ibidem obtenta; fama communis, & ultroneus campanarum sonitus.*
13. *Benè igitur pro identitate pronuntiatum ab Ordinario.*
14. *Sed contra est, quòd Ordinarius extra Concilium Provinciale aut inconsulto Pontifice sententiam hac in re, cum dubium est, ferre non possit.*
15. *Deinde Translationem Corporum SS. Marini, & Aniani in Rott, testatur Scriptura monumento Wiltpartingensi incisa:*
16. *17. Cui non obstat error Chronographicus.*
18. *Non præsumenda impostura in fingenda hac Translatione.*
19. *Et seqq. Wiltpartingensium causa non favent testes, fama, situs Corporum &c.*
26. *Pro Translatione in Rott extant documenta antiquissima;*
27. *Favet præsumptio ex constructione & Fundatione templi Rottensis,*
28. *Autoritas S. Congregationis. Neque obstat, quòd Sacra Corpora Rotta non inveniuntur.*
29. 30. *Periculum scandali & probri incurreret S. Congregatio, decidendo pro Wiltpartingensibus.*
31. *Responsiones ad Argumenta Rottensium. Cerritudo moralis sufficit, ut Reliquia ab Ordinario ad cultum publicum possint exponi.*
32. 33. *Inscriptio, monumento incisa, aperti erroris convincitur; consequenter Translationem, cum errore isto connexam, non probat.*
34. 35. *Quid de In corruptione SS. Corporum, de Translationis facta persuasione, & de Inscriptio monumento incisa, sit sentiendum, aliunde facile conjicitur.*
36. *Historici non merentur majorem fidem, quam*

- quàm documenta , ex quibus sua deprompserunt.
- 37. Similiter fama Translationis facta , non plus credendum,quàm Inscriptioni sepulchrali.
 - 38. 39. Fama de primo sepulchro Corporum inventorum.
 - 40. Argumenta Wiltpartingenſium ſimul ſumpta , deſiciente in contrarium probatione , rem evincunt.
 - 41. Rottenſium documenta originem videntur trahere ex ſuſpecta Inſcriptione ſepulchrali.
 - 42. Fundantur templa in honorem Sanctorum,

FACTI SPECIES.

I.



Arinus , & Anianus , in Hibernia nobili ſtirpe nati , cum à prima ætate in omni doctrinarum genere inſtructi , ſtudiis pietatem conjungerent, brevi ad eam Sanctitatis , & doctrinæ perfectionem pervenerunt , ut ille in Sacerdotem , & Hiberniæ Episcopum, hic verò in Archi-Diaconum ordinaretur. Cum verò à perſecutione tuti non eſſent , tranſmiſſo mari Romam venerunt, Sacra Limina viſitaturi. Ibidem Divi Laurentii memoriâ adeò delectabatur Marinus , ut ab eo tempore ſimile ſibi mortis genus ſemper optaverit. Acceptâ tandem ab Eugenio Papa Benedictione , & Authoritate prædicandi Evangelium , in Bavariam pervenerunt , ubi in quadam Eremo, Wiltparting nuncupatâ , conſtructis ſibi duobus tuguriis, jejuniis , & vigiliis penè affiduis, ac prædicationi Verbi Divini vacantes , per quadraginta annos vixerunt.

2.

Non deerant inter hoſ labores, & corporis macerationes liquida de cælo ſolatia. Illuſtre illud , cum S. Marinus allatam ſibi vocem, imminentis mortis prænuntiam, audivit, quæ eidem inſclamabat : *Labora inſtanter ; cirò enim aderit tibi remuneratio, & Socio tuo Aniano.* Diçto reſpondit eventus ; nam paulò poſt Wandali ex Alpiſ ad Specum Marini deveniunt, reconditas ab eo pecunias exigunt, & ut Chriſtum abneget , ſollicitant. Cum verò nihil proficerent , equuleo ſuſpenſum, flagris ad denudationem coſtarum uſque excarnificant, & inſuper ardenti rogo iniiciunt, in quo Sanctus Martyr pro tortoribus ſuis orans, corpore , & veſte firmè illæſus , animam DEO reddidit. Anianus, cognita Marini nece, eodem die, qui fuit decimus quintus Decembris, cum ſuo Magiſtro, lætus & ipſe cælum petivit.

3.

Latuerunt in uno, eodèmq; tumulo plurimis annis, Sacra Divorum iſtorum Pignora, ignota cunctis mortalibus ; poſtea verò Divinitus revelata, à Clericis effoſſa , & marmoreâ tumbâ incluſa, in Eccleſia Wiltparting tumulata ſunt. Multo tempore creditum fuit, illa ſucceſſu temporis translata fuiſſe Rotam : cui opinioni patrocinaſatur ipſum hoc Wiltpartingenſe monumentum, ipſaque ſeri-

quorum Corpora ibi non quieſcunt : vel ſaltem ſufficit præſentia partis.

- 43. S. Congregatio Lectionibus à ſe approbatis, non adſtruit indubitatam fidem. Nomine *Auriſi quis veniat locus ? Corpus Sancti Nonnoſi antequam Friſinga fuerit inventum, nulla alia Eccleſia ſibi vendicavit.*
- 44. Argumenta Rottenſium non videntur convincentia.
- 45. Abſque ſcandalo aut probro S. Congregatio , detecta veritate, mutat mentem.
- 46. Et ſeqq. Reſolutio totius Controverſia.

ptura, in cujus ſuperficie Germanico idioma-te, grandibus, & profundè inciſis Literis legentur hæc verba : *Hue ſind gelegen Sant Marin, und Sant Anian anderthalb-hundert Jahr unweeſen ; darnach ſynd ſy erhöbet/ und gefürt gen Rot/ nach Chriſti Geburt Siben C. IP.* quæ Inſcriptio latinè reddita ſic ſonat : *Hic jacuerunt Sanctus Marinus , & Sanctus Anianus centum quinquaginta annis incorrupti : poſtea levati fuerunt , & aucti in Rot poſt Chriſti Nativitatem ſepties C. IP.*

Quia verò Rottenſes Monachi locum in Eccleſia ſua ; ubi Sacra hæc Pignora aſſervantur , monſtrare non poterant , & inſuper fama erat, ea ſemper perſiſtiſſe in Wiltparting, Ceſſiſſimus Princeps, & Episcopus Friſingenſis hodiernus occasione Viſitationis , quam in Diœceſi ſua anno 1723. inſtituit , cum 25. Auguſti ejusdem anni ad Parochialem Eccleſiam in Irſchenberg deveniſſet , quid rei ſubſit , indagaturus , altera immediatè ſequenti die ad Capellam in Wiltparting, quæ reſpectu dictæ Parochialis Eccleſiæ filialis eſt, ſeſe contulit , & prædictum ſepulchrum in ſua, & plurimorum de Clero , & populo præſentia aperiri juſſit.

Viſebatur monumentum hoc in Capellæ medio : antiquitatem ejus ipſa ſpecies demonſtrabat : longum erat circiter pedes ſeptem, quatuor altum , & totidem latum , quod duæ ex integro lapide exciſæ, denſæque laminæ per modum tecti , ſuperne in cacumen aſſurgentis, tegebant : In apice dabatur oblongum , ipſi machinæ commenſuratum planum , unum circiter pedem latum ; in cujus ſuperficie Num. 3. allegata verba vetuſtiſſimo , & vix legibili charactere inſculpta legebantur, laminæ verò illæ duæ ex una parte Episcopum, ex altera Diaconum, ſculpturâ pariter antiquâ inciſos, referebant.

Laminis hiſ amotis , intra monumentum apparuit cavitas , quæ juſtum virum capere pote-

poterat. Erat ista undique vacua, præterquam quòd ibidem frustum ligni cariosum, & pars crucis pariter cariose repertum fuerit. Laminas istas sustinebat quadrangularis murus, quo dissecto, apparuit quoddam muratum planum. Hoc, cum amotis supernè incumbentibus lapidibus, solutum fuisset, deventum est ad sepulchrum, quadrangularem muro septum, & glebâ oppletum, qua ad pedes circiter tres egesta, Calvaria, à Principe ara respiciens populum, mox colli, & humerorum ossa conspicienda se præbuerunt. Ulterius deinde fodiendo inventa sunt plura alia ossa sine ordine, glebæ pariter, & carbonibus mixta, quæ omnia in testaceum discum collecta sunt. Residuâ tandem terrâ ejectâ, in Sepulchri fundo repertum est corpus aliud integrum, capite, & pedibus ad Principem aram conversis, quod pariter è densa gleba, cui similiter impactum erat, effossum, in alium testaceum discum depositum fuit.

7. Hinc orta est controversia inter Parochum in Irtschenberg ex una, & inter Abbatem, & Monachos Monasterii Rottensis S. Benedicti ex altera parte; dum ille hæc ossa Reliquias SS. Marini, & Aniani esse contendit, hi verò negant; quòd istorum Sanctorum Corpora jam per mille & plures annos in propria Ipsorum Ecclesia publicè colerentur, Celsissimus Frisingensis, audita utraque parte, harumque rationibus, & testibus, exquisitòque desuper Theologorum, & aliorum piorum, doctorumque Virorum Consilio, cum ea, quæ Rottenses pro se adduxerant, minus probantia viderentur, tandem sub die 27. Novembris anni 1724. publicari fecit Sententiam, qua declaravit, Reliquias, in Ecclesia Wiltpartingensi 26. Augusti 1723. repertas, esse vera Lipsana præmemoratorum Sanctorum, atque adeò illas publico Fidelium cultui exponi posse. Ab hac Sententia Abbas, & Monachi appellarunt ad S. Congregationem; quam Celsissimus admisit, additâ clausulâ, *si, & quantum de Jure.* Parochus proponit sequentia

Argumenta pro veritate Reliquiarum in Wiltparting inventarum.

8. Primum Argumentum subministrat constans traditio, Scripturis Authenticis, patriâ Historiâ, & partis utriusque consensu abundè munita, ex qua fit innegabile, quòd Sanctorum istorum Corpora primò sepulta fuerint in loco Wiltparting, ubi nunc Reliquiæ, in Controversiam præsentem deductæ, inventæ sunt. Igitur dicendum, quòd eadem Sacra Corpora usque ad hæc ultima tempora ibidem permanferint, quamdiu manifestis argumentis non probatur, ea inde fuisse translata. Talia autem Argumenta à Rottensibus non afferuntur: nam hi se præcipuè

1. Fundant in Inscriptione, monumento Wiltpartingensi insculpta, in qua, ut Num. 3. vidimus, expresse legitur, ea, postquam per centum, & quinquaginta annos quieverunt in Wiltparting, deinde Rottam translata fuisse. 2. In constanti, & nunquam interrupta traditione, quam pro eadem Translatione stare contendunt. 3. In Confessione propria Parochorum Irtschenbergensium, qui non solum factò ipso, supplicatione annua, Rottam ducta, sed etiam verbo, in Collecta Principali Missæ, quam in solennitate illa decantant; in Lectionibus Officii Divini, quas ipsimet composuerunt; in vita Sanctorum istorum, quam descriperunt; in Concionibus, quas eo Festo habuerunt ad populum, eorundem SS. Corporum Translationem fatentur. 4. In Antiphonariis, Historiis Scriptorum Patriæ, Literis Foundationis, Confirmationis, & Donationum, aliisque Documentis antiquis, quæ eandem Translationem, & existentes apud se Reliquias Sanctorum istorum expresse afferunt, vel satis luculenter innuunt. 5. In Cranio S. Marini apud se asservato, quod non solum colore, & qualitate, sed etiam emanato cœlesti odore, & sanatione dolorum Capitis se veram esse S. Marini Reliquiam satis probavit. Hæc autem Argumenta non satis probant assertam Translationem, prout dabit Responsio ad Argumenta Rottensium. Contra

9. 2. Ipsa possessio sepulchri validam, & undequaque subsistentem præsumptionem efficit, quòd Reliquiæ in Wiltpartingensi Ecclesia, & sub monumento ibidem existente nuper inventæ, sint vera istorum Sanctorum Exuvia. Quæ præsumptio adeò fortis de Jure est, ut eadem Ecclesia in hac sua possessione manuteneri debeat, neque dejecti ab ista possit, nisi contrarium concludenter probetur; cuius probandi onus rejicit in Adversarium, per apertos Juris textus.

L. ait Prator. 1. ff. uti possid. ubi interdictum uti possidetis datur Possessori, quod ipsum tueretur, ne amittatur possessio. L. si quas. 1. C. de Servit. & aqu. ubi longi temporis consuetudo vicem servitutis obtinere dicitur. C. cum Ecclesia. 3. de caus. possess. & propr. L. possessiones. 2. C. de probat. ubi deciditur, Possessori non incumbere necessitatem probandi, sed Actori, quo in probatione cessante, obtenturum eum, qui possessorem se esse monstraverit.

3. Præsumptionem istam vehementer confirmat situs Corporum repertorum: nam superioris Corporis Caput, ut Num. 6. vidimus, ab Altari respiciebat populum; posterioris verò ad ipsum Altare conversum erat: quod ex ritu sepeliendi in Ecclesia usitato, indicium facit, primum fuisse Sacerdotem, non verò alterum. Insuper ossa in superiori parte sepulchri recondita, inventa sunt mixta carbonibus; eaque colorem habent albicantem, sunt

suntque friabilia: quæ tria juxta Peritorum testimonium signa plus quam evidentiâ sunt adustionis; ut adeo ex ipso loco, in quo ossa ista reperta sunt, nempe ex primævo Sanctorum istorum sepulchro præsumi, & inferri jure meritissimo possit, ea esse S. Marini, quem constat, à Barbaris in odium fidei fuisse igne crematum. Alterum verò corpus, quod integrum repertum est, præsumptione pariter certa reputari debet pro Corpore Sancti Aniani; quippe quem constat, in eodem Sepulchro cum Magistro suo Marino fuisse conditum, cujusque Reliquiæ nupiam alibi reperiuntur. Certè sine Sacrilegio in hoc sacro monumento alia Corpora deponi non potuissent.

II.

4. Illationem hanc plurimum roborat, quòd in Ecclesia Rottensi, ad quam translata dicuntur Sanctorum istorum Corpora, nullum reperitur monumentum, imò ne locus quidem, etsi studiosè inquisitus, ostendi possit, ubi illa reposita jaceant. Item quòd de S. Aniano nulla ibidem Reliquia exhibeatur; de S. Marino autem solum cranium, idque non integrum, sed, ut observavit Medicus *Act. fol. 87.* ex pluribus cranii frustis artificialiter conglutinatis confectum, quæ ipsissima frusta, cum & ipsa, ut idem Medicus observavit, valde friabilia sint, & coloris partim submericii, partim subfusci, & subnigri, quasi ignem passa, satis indicant, ex eodem Corpore desumpta illa esse, ex quoreperta in Monumento Wiltpartingensi sunt alia ossa, & reliqua Calvaria; quippe quæ integra inventa non est. Insuper

12.

5. Pro Reliquiis nuper repertis pugnat confans populi devotio, qua Sepulchrum ibi existens veneratur; supplicationes tam statæ, quam extraordinariæ, quæ eò ducuntur; multiplicia Beneficia, quæ ibidem ad invocationem Sanctorum istorum obtinentur; fama communis, plurium testium assertione probata, quæ omnes incolæ sibi persuadent, eorum Corpora adhuc extitisse Wiltpartingæ in hoc eorum Sepulchro usque ad ultimam levationem; ultroneus campanarum Ecclesiæ illius sonitus, qui anno 1672. auditus est. Quæ omnia cum supra dictis, licet non faciant certitudinem physicam (quæ in hac materia vix non est impossibilis) efficiunt tamen moralem, quæ prudentis Viri animum movere potest ad credendum, ita esse. Proinde satis patere videtur, quòd pro identitate Reliquiarum inventarum à Celsissimo Frisingensi rectè sit judicatum. Nam

13.

6. Idem Celsissimus sententiam hanc suam tulit post recepta formiter elogia testium, post auditas sufficienter partes, post adhibitos etiam juxta præscriptum

S. Concil. Trid. *Sess. 25. de Cult. Reliq.* in Consilium Theologos, & alios pios, doctosque Viros: ut adeo præcautiones omnes ad sententiam legitimè ferendam sint applicatæ: consequenter Sententia hæc tam quoad materialia, quam quoad formalia nullum

patiatur defectum, ex quo argui nullitatis, vel insubsistentiæ possit. Contra hæc argumenta nuper factæ sunt

Nova Instantiæ Rottensium.

14.

ET I. Quidem dicunt, non potuisse à Celsissimo Frisingensi in hoc Casu Sententiam declaratoriam fieri pro Reliquiarum nuper inventarum identitate cum SS. Reliquiis SS. Marini, & Aniani: nam licet assistat Tridentinum *Sess. 25. cit.* Episcopo, Eique concedat, ut Reliquias Sanctorum recognoscere, & approbare possit, id tamen non procedit in Casu, quo propter oppositionem Partis ambiguum est, an illæ, de quibus agitur, sint veræ Reliquiæ Sanctorum: in hoc quippe Casu silet Episcopi Autoritas, donec consulto Romano Pontifice, Concilii etiam Provincialis judicium accedat, ut patet ex verbis dictæ Synodi

*Loc. cit. ibi: Quodsi - aliqua de iis rebus gravior Quæstio incidat, Episcopus, in tequam controversiam dirimat, Metropolitanus, & Comprovincialium Episcoporum in Concilio Provinciali sententiam expectet, ita tamen, ut nihil inconsulto Sanctissimo Romano Pontifice novum, aut in Ecclesia hætenus inusitatum deternatur. Concordat C. fin. de Reliq. & Vener. SS. & DD. ex quorum sensu Alexander Plouvier in Epistol. Eusebii Romani ad Theophilum Gallum pag. 119. & 520. Plura, inquit requirunt sapientissimi SS. Lipsanorum Vindicatores - - & in dubiis, ut suggerit Tridentinum *Sess. 25.* illorum est expectandum judicium, ne in errorem facile incidatur, aut Sanctis denegando debitam Venerationem, aut non Sanctis asserendo Cultum, ut sæpe evenit, quando inconsulta Sede Apostolica, quidquam in hac materia statuitur.*

In hoc autem Casu res dubio vacare non videtur. Nam

15.

2. Ipsum monumentum Wiltpartingense, & insculpta huic verba *Num. 3.* relata, expressè asserit, Sacra SS. Marini, & Aniani Corpora, sepulta quidem olim fuisse in Wiltparting, sed postea anno 709. translata in Rott: cui Scripturæ meritò fides haberi debet: quia 1. est antiquissima, prout monstrant characteres antiqui moris, & difficulter legibiles, & figura imaginum vetustatem aperte sapiens; imò testes desuper interrogati, quamvis eorum unus septuagenarius fuerit, Patrèmq; 90. annorum, avum verò centum, & proavum 105. annorum habuerit, qui omnes loci æditui erant, nihil de tempore, quo monumentum istud constructum, & scripturæ ei incisa fuerit, referre potuerunt: ut adeo evincatur tempus immemorabile,

ut firmat Osach. *decis. 101. n. 41. Rota Decis. 314. n. 3. & 4. p. 11. recens. decis. 1586. n. 45. §. circa immemorabilem.*

lem. coram Coccin. decis. 328. n. 10. coram Bich. & decis. 78. n. 80. coram Ansaldo.

2. Posita erat in loco publico, & manifesto, atque adeo in conspectu omnium: ut proinde præsumi possit facta Authoritate Ordinarii, qui utique illam non permisisset imponi tumulo, si illam non veritati undequaque concordem esse credidisset; nam Ordinarius censetur de statu, & qualitate omnium Ecclesiarum suæ Diocesis plenissime instructus,

ut benè advertunt Card. de Luc. *Miscell. Eccl. disc. 7. n. 16. Rota decis. 30. n. 11. p. 6. recent. decis. 280. n. 30. & decis. 374. n. 7. & 8. coram Bich. & decis. 98. n. 19. coram Ansaldo.*

Tales autem Scripturæ, quæ pro se publicitatem, & antiquitatem habent, cum verlamur in antiquis, plenam atque perfectam pariunt fidem: & hinc maximi semper æstimatur ab Historicis, si ex hujusmodi monumentis aliquid pro suis Narrationibus, & Historiis habere, vel eruere possint: nam execrabile olim erat in publicis tabulis falsum aliquid scribere, vel ex eis aliter, quam scriptum fuerit recitare, ita, ut hoc ipsum crimen in primo Capite Lææ Majestatis comprehenderetur.

L. quæ 2. ff. ad Leg. Jul. Majest.

Ac propterea DD. semper plurimum detulerunt talibus scripturis, inscriptionibus, & monumentis.

Gloss. in C. cum causam de probat. Specul. ad dist. tit. §. videndum. §. restat. Bald. conf. 310. n. 5. Cravett. de antiq. temp. p. ult. n. 30. & 31. cum aliis apud Malcard. de probat. concl. 105. per rotam.

Sciverint itaque illi, qui monumentum hoc Wiltpartingense posuerunt, & Inscriptionem prædictam fecerunt incidi, Corpora illa, quæ in fundo hujus Monumenti nuper inventa sunt, non esse dictorum Sanctorum, sed aliorum Fidelium, qui post Sanctos istos Rottam translatos majoris devotionis, & fiduciæ causâ ibi tumulati sunt. Et hinc, ne in hac re erraret posteritas, hanc ipsam Scripturam imposuerunt tumulo. Neque obest

16.

3. Quod obiicitur huic Inscriptioni ab Irschenbergensibus, scilicet eam, si comparetur cum Historiis, & Documentis, per Rottenfes confessatis, manifestum errorem calculi continere, ubi dicit, Sacra Corpora fuisse translata Rottam, postquam centum quinquaginta annis quieverunt in Wiltparting, Translationem autem prædictam factam esse anno Christi 709. cum tamen, attentis Historicorum narrationibus, iidem Sancti post annum Christi 655. qua potestatem prædicandi Evangelium acceperunt ab Eugenio I. Quadraginta insuper annos, adeoque usque ad annum Christi 695. supervixerint. Nam imprimis non adeo clarum est ex Inscriptione hac sepulchrali, quod Translatio ista facta sit

anno Christi 709. quippe in qua annus Translationis exprimitur per dictionem, & Literas *Septies. C. IP.* Ex quibus ultima Litera *P.* non adeo clarè numerum nonum indicat. Deinde esto, quod fatendum sit, in hac Inscriptione quoad tempus Translationis Rottam factæ irrepsisse Chronographicum quendam errorem, iste veritati Translationis ipsius obesse non potest; cum neminem lateat, etiam in aliorum Sanctorum Vitis similes, & alios contigisse errores, quos passim detegunt Baronius, Mabillon, Bollandus, ejusque Continuatores, quin tamen Scripturæ, & Instrumenta, quæ tales errores continent, rejiciantur ut falsa, sed correctis erroribus, quoad substantiam admittuntur ut vera. Pariter igitur error hic Chronographicus, circa tempus Translationis commissus, ipsam substantiam, & veritatem Translationis non vitiat. Certè, si dictus error Inscriptionem istam vitaret in totum, neque Irschenbergenses ex ea probare possent, Sanctos nostros fuisse unquam sepultos in Wiltparting, præsertim cum in aliis Originariis eorum vitæ documentis Nomen *Wiltparting* nusquam reperiatur expressum, sed solum dicatur, quod in Alpibus Noricis, qui à Rhœtia in multa milliaria protenduntur, multis annis mirâ fulserint sanctitate. Quod si ergo eadem sepulchralis Inscriptio, non obstante prædicto errore Chronographico, Irschenbergensibus idonea adhuc videtur, etiam pro idonea admitti debet pro afferenda eorum Sanctorum Translatione, juxta eandem Scripturam factâ in Rott. Similiter

4. Non obest, neque falsitatis argui Scriptura, seu Inscriptio hæc sepulchralis potest, quod dicat, eadem Corpora per centum quinquaginta annos in sepulchro suo Wiltpartingensi, jacuisse incorrupta; cum tamen S. Marinus igne crematus fuerit; nam & S. Domitilla cum duabus focis collactaneis suis per ignem Martyrium passa est, & nihilominus earum Corpora integra reperta sunt, ut legitur in Breviario Romano *ad diem 12. Maij Lectione 2.* Certè de eodem S. Marino omnes Scriptores vitæ nostrorum duorum Sanctorum signanter testantur, eum in rogam injectum, sine singulari læsione offisium, carne jam antea potissima ex parte detracta, animam DEO reddidisse. Sicut ergo secundum partes, quas tortores non antea detraxerunt, ab igne illæsus mansit, ita etiam secundum illas remanere illæsus deinceps potuit à corruptione: quod nihil novum est; cum hujusmodi partialis incorruptionis plurima passim legantur exempla apud Bonifacium Bagatti, Thomam Le Blanc in *Psal. 15.* & Authorem vitæ Ven. P. Dominici à Jesu Carmelitæ, ubi asseritur, illius Corpus, capite, ac manibus secundum carnem consumptis, integrum perseverare. Deinde ista incorruptio saltem de S. Aniani

17.

Cor-

corpore verificari potuit; quæ sanè unius corporis prærogativa sufficiens causa esse valuit, ut dicto monumento Epithetum *Incorrupti* in plurali adscriberetur, à nobiliori sumendo denominationem, eo ferè modo, sicut de iisdem nostris duobus Sanctis in Festo eorum dicitur Officium de Communi plurimorum Martyrum, cum tamen solus S. Marinus Martyr occubuerit. Vel si hoc dicinon posse quis existimet, nomine *Incorrupti* intelligi possunt ossa post tot sæculorum lapsum in cineres non redacta. Denique esto, quòd falsum sit, eorum Corpora mansisse incorrupta, exinde non sequitur, quòd falsa sit etiam eorundem Translatio: unde hæc saltem vera subsistet argumento sumpto à simili cum teste, qui,

ut optimè advertit Martinus Uranius *ad c. nostra. n. 60. & 61. de testib.* apud Farin. *in Aucar. de testib. p. 119.*

si in uno Capitulo separatorum deposuerit falsum, nihilominus ejus dictum valet in alio Capitulo separato.

Consentiunt Rebuff. *prax. Benef. tit. de caus. resign. irrit. & de dol. n. 8. & 9.* Covarruv. *l. 1. c. 5. n. 1.* Tusch. *tit. E. concl. 324. n. 1. & 8.* Capon. *de pact. q. 19. n. 50. & D. 3. n. 19.* Less. *de J. & J. l. 2. c. 13.*

Certe, si falsa esset Translatio, à Rottensibus asserta,

18.

5. Ingens commississet falsum, qui ausus fuisset Inscriptionem istam Sepulchro Sanctorum istorum imponere, & per eam testari, translata fuisse Sacra illorum Corpora, quæ translata re vera non sunt, & sic Reliquias illorum veras debito sibi cultu privare: quod propterea præsumi non potest, sed probari debet. Minus id præsumi debet de Abbatis Rottensibus, tanquam si hoc modo stabilire voluerint possessionem istorum Sacrorum Pignorum; præterquam enim, quòd hoc redundaret in istorum injuriam, non apparet, quomodo hoc facere potuerint in loco sex horis à Monasterio suo distante, & neque spiritali, neque temporalis illorum Dominio subiecto. Certè nec Parochiani, nec ipse Parochus Irschenbergensis in præjudicium Sanctorum istorum, & suum hoc permisissent. Quare ex hac Inscriptione luculenter probatur Translatio; minimè verò, ut Irschenbergenses contendunt, Corporum recens inventorum cum Corporibus Sanctorum nostrorum identitas. Erunt igitur corpora, nuper sub monumento Wiltpartingensi reperta, aliorum quorundam Fidelium, qui pietate, ac devotione moti erga dictos Sanctos, ante mortem petierint in eo loco sepeliri, ubi istorum Corpora prius sepulta quieverant: nam,

ut ex S. Augustino *can. non astinemus. 19. caus. 13. q. 2. relato*, constat,

antiquis temporibus sæpius corpora aliorum Fidelium apud Sancti alicujus memoriam sepeliri consueverunt.

R. P. Schmalzgrueber *Consil. Tom. I.*

Quod etiam docuit S. Maximus Episcopus Taurinensis, *Homil. in Natal. SS.* quæ est apud S. Ambrosium *conc. 6. de SS.* ibi: *Ideo hoc à Majoribus provisum est, ut Sanctorum ossibus nostra sociemus, ut, dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat, dum illos Christus illuminat, à nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum Sanctis ergo Martyribus quiescentes evadimus Inferni tenebras eorum propriis meritis, atramen consocii Sanctitate. Et ideo veneremur eos in sæculo, quos defensores habere possumus in futuro; & sicut ossibus Parentum nostrorum jungimur, ita & eis fidei imitatione jungemur; in nullo enim ab ipsis separari poterimus, si sociemur illis tam Religione, quam corpore.*

Iplemet S. Ambrosius, Fratrem suum Satyrum sepeliens juxta Victorem Martyrem, memoriam ejus celebravit sequenti Tetra-
sticho.

Uranio Satyro supremum Frater honorem
Martyris ad levam detulit Ambrosius.
Hæc meriti merces, ut sacri Sanguinis humor

Finitimas penetrans, adluat Exuvias.

Et ita aliis relatis fusè demonstrat

Baronius *ad annum Christi 383. n. 17. & ann. 438. n. 15.*

Et hinc, ut *Num. 15.* dictum est, meritò in Inscriptione additura est, SS. Marini, & Aniani Corpora fuisse translata Rottam, ne posteritas crederet, Corpora ibidem post Translationem sepulta, ad Sanctos hos pertinere. Præter hanc Inscriptionem

6. Pro Translatione hac unanimiter stant præcipui Patriæ Scriptores, qui uno ore testantur, dicta Sanctorum Corpora ex loco Wiltparting fuisse Rottam translata, ibique Magnificum Templum, & Monasterium in eorum venerationem successu temporis accessisse, ut videre est apud Joannem de Via in vita dictorum Sanctorum, ex vetustissimis Manuscriptis extracta; quem sequuntur, & celebrant

19.

Henricus Canisius, Hugo Menradus *in notis ad Martyrologium Benedictinum.* Brunnerus *in vita S. Altonis p. 1. l. 5. pag. 634.* Rader. *Bavar. Sanct. vol. 1. pag. 93.* Ludovic. Morer. *in diction. Histor. Marc. Weller pag. 259.* Adelsreutter *p. 1. l. 7. pag. 162.* Anton. Erl *Atlant. Bavar. pag. 214.*

Qui Authores utique Translationem hanc non affirmassent, nisi illam habuissent pro certa. Nec fides Historicorum istorum elevatur per hoc, quòd in hac sua assertione sint secuti Documenta Rottensia, quæ fortè conscripta sunt ab aliquo Monacho privato ejusdem Monasterii; nam desumpta sunt ex Archivio ejusdem Monasterii. Scripturæ autem ex Archivio desumptæ faciunt plenam fidem, à quibuscunque descriptæ sint.

U

Ausb.

Aurb. ad hac. C. de fide Instrum. Pialec. prax. p. 2. c. 5. art. 1. n. 25. Matthæucc. Offic. Cur. Eccl. c. 28. n. 30. Et de Caus. Beatif. & Canoniz. tit. 3. c. 6. §. 2. n. 20. ꝑ. hinc constat.

Consequenter arguendi non sunt allegati Scriptores, quòd Documenta ista referant, & sequantur: quia communis illorum consensus in eis amplectendis ad evidentiam ostendit, illa nullo laborare defectu. Certè Historicos antiquos inter se non pugnantes, ad cumulum saltem probationum admittendos, cum aliis docet

Matthæucc. tract. cit. tit. 3. cap. 3. §. 2. n. 23. ubi rationem addit: quia non est verisimile, eos voluisse mentiri, & scribere non vera, & qua eis fuissent ignorata.

Accedit, quòd ipsa Curia Episcopalis Frisingensis, dum in S. Congreg. agebatur de approbatione Læctionum novissimarum pro Festo istorum Sanctorum, ad hanc impetrandam præ cæteris allegavit Raderum, tanquam Scriptorem, & Historicum classicum: quare si talis est, & tunc pro tali fuit agnitus, etiam nunc pro tali est agnoscendus. Denique dici non potest, quòd Acta Sanctorum istorum per domesticum Monachum composita sint; nam Sancti isti dudum ante conditum Monasterium Rottense mortui, Rottamque translati sunt: igitur jam antea debuerunt extitisse hujusmodi Acta, ab alijs conscripta, quæ deinde cum SS. Lipsanis una Rottam transportata esse oportet. Certè si ex hoc solo capite Historicis prædictis neganda esset fides, dum factam Translationem asserunt, quia hanc referunt ex Actis Rottensibus; neque fides eisdem adhibenda esset quoad reliquam de Vita, & Morte Sanctorum istorum ab ipsis factam narrationem; nam etiam ista ex Actis prædictis excerpta est. Unde sicut Irschenbergenses in ordine ad probandum, quòd Sancti isti vixerint, & post mortem sepulti sint in Wiltparting, rectè se fundant super Auctoritate Historicorum, & Actorum Rottensium, ita simili jure Rottenses Fundamento isto valent uti pro asserenda Translatione; cum de Jure non liceat aliquem pro se testem producere, & dein reprobare eorum personas.

L. si quis. 17. C. de Testib.

Quod maximè procedit in casu præsentis, postquam Læctiones de dictis Sanctis, ex antè dictis Historicis, & Actis excerptas, S. Congregatio approbavit: nam *Sedis Apostolica iudicium à nemine est retractandum.*

20.

7. Habet etiam Monasterium Rottense pro existentibus apud se Sanctorum dictorum Corporibus constantem, & nunquam interruptam traditionem, quam secuti ipsimet Parochi Irschenbergenses pro veneratione illorum, Parochianorum suorum supplex agmen duxerunt annuatim in Rott, ubi in Missa solenni, & Collecta ejus principali ejusdem Translationis vocem inseruerunt; quam ipsam Translationem retulerunt etiam in

compositis à se Læctionibus, simulque depingi fecerunt ad portam Capellæ Wiltpartingensis cum Inscriptione: *Postea eorum Reliquia, iterum ex Sarcophago desumpta, in Monasterium Rott delecta, & in Ecclesia condita fuerunt.* Allegant quidem Irschenbergenses pro se pariter famam communem. Verùm hæc fama r. Est omnino nova; nam ante detecta Corpora, ut habetur ex depositionibus testium, pro existentia SS. Corporum in monumento Wiltpartingensi productorum, tam ipsi testes, quam Majores illorum, cæterique concives constanter supposuerunt, quòd eadem SS. Corpora fuerint translata Rottam; aliàs dictam supplicationem annuam in Rott utique non intulissent; cum necesse non habuissent Sacra hæc Pignora venerari alibi, quorum possessores ipsimet essent. Et hinc unus ex testibus prædictis interrogatus, cur credat, quòd dicti Sancti Rottam translati sint, rectè pro ratione reddidit: *quia illa Processio quotannis instituebatur.* Qui lanè testis, quamvis unicus, nihilominus tot concurrentibus circumstantiis, & adminiculis, plene probat contra inducentem, ut pluries respondit Rota, & signanter

Decis. 812. num. 12. coram Duno jun. decis. 201. n. 10. p. 5. Decis. 119. n. 1. p. 14. Decis. 409. n. 7. p. 19. recent. & Decis. 11. n. 9. coram Anfaldo.

2. Eadem fama non est uniformis; nam; quòd diversæ fuerint opiniones ipsorum inquilinorum, patet ex depositione testis 3. 7. 9. 18. & 19. qui asserunt, aliquos putasse, Sanctos istos quiescere in Rott, alios in Wiltparting; inter quos aliqui, falso nixi Fundamento, ex ultroneo campanarum fonitu capto, putarunt, eos ex Rott per miraculum rediisse in Wiltparting. 3. Non est communis, & approbata apud majorem populi partem; nam in hoc duplex invaluit fama sibi discordans, quarum una pugnat pro Wiltpartingensibus, altera, eaque pluribus adminiculis, & fortioribus Argumentis roborata, pro Rottensibus. 4. Non est sufficienter probata. Nam

8. Testes, qui in ejus probationem producantur, fides, & probationem plenam facere nequeunt; atque hoc ex multiplici capite. 1. Præter duos Sacerdotes, reliqui ferè omnes sunt homines viles, ac mulierculæ, item tanquam Irschenbergenses partim interessati, partim inhabiles, ac per consequens in præsentis materia inepti ad constituendam aliquam probationem,

ut notat Hippolyt. Marsil. in l. de minore. §. plurimum. num. 108. ff. de quast. Klock. tom. 1. Conf. 43. num. 64. ubi, quòd fama ortum habens à parte ipsa, ad cujus favorem tendit, ad probandum inefficax sit. Consentunt Alex. Conf. 70. num. 6. lib. 3. Cravett. Conf. 219. num. 7. Cephal. l. 3. Conf. 65. num.

num. 63. & in Art. Crim. p. 5. c. 16. n. 1. pag. 388.

2. Non deponunt, esse publicam, & majoris partis, nec dant rationem sui dicti; nec enim dicunt, à quibus hæc fama originem traxerit, aut ex quibus causis populus ad sic credendum sit motus: unde hæc fama potius est dispersus sermo, neque habet, quæ ad fidem faciendam de Jure requiruntur.

Salicet. in l. ea quidem. col. 3. circa princip. C. de Accus. Ruin. Conf. 158. num. 22. lib. 3. Corn. Conf. 221. num. 5. vol. 1. Alex. Conf. 150. num. 5. & Conf. 153. vol. 1. Mynsing. Decis. Camer. Imper. 46. n. 6.

3. In Depositionibus eorum deprehenditur falsitas; nam testis 3. 9. & 11. interrogati, à quibus audiverint Sanctorum istorum Corpora adhuc quiescere in Wiltparting, responderunt, se id audivisse ex Dominis Casparo Kaindl, Joanne Prunner, & Michaële Schober, ex quibus duo primi erant antehac Parochi in Irschenberg, tertius Beneficiatus in Aybling. Constat autem, istos sensitse contrarium; & Dominus Kaindl quidem in Lectionibus à se compositis Translationem Sanctorum istorum in Rott expressè recensuit; Dominus Schober publice ex cathedra pro concione ad populum repetitò eandem confirmavit; Dominus Prunner denique hunc ipsum Dominum Schober, cum annus Sæcularis istorum Sanctorum celebraretur, specialem concionem desuper exornare jussit, quod utique non fecisset, nisi dictam Translationem tanquam Fundamentum novæ hujus solennitatis, firmiter credidisset. Unde necesse est, ut vel isti, vel illi falsum asseruerint, ac per consequens Judex super horum testimonio Depositionibus figere pedem securum non potest.

Bald. in c. cum causam. de Testib. & ibi Felin. col. 4. ad med. §. sed hanc fallentiam. Gabr. de testib. lib. 1. concl. 2. n. 11. Dec. Conf. 92. num. 51. lib. 2. Alex. Conf. 91. post. num. 7. lib. 4. Mascard. de probat. l. 3. concl. 1368. n. 1. Petra de Fideicom. q. 12. num. 1144. 1145. & 1149. §. sed nemo istorum.

4. In iisdem suis Depositionibus aliqui illorum sunt tam inter se, quam sibiipsis contrarii. Exemplum esse potest testis primus, qui interrogatus, an sciat, vel dici audiverit, quo in loco quiescant dictorum Sanctorum Corpora? una vice respondit, se semper audivisse à Parentibus, & Majoribus, ipsaque Communitate, ac tota Vicinia, ea quiescere in Wiltparting; alia vice autem factus est, sæpè se audivisse dici, eos per duos boves fuisse transvectos in Rott; denique tertia vice quæsitus, reposuit, nihil certi se audivisse de loco, ubi illa quiescant. 5. Alii illorum manifestè convincuntur, quòd tegere voluerint veritatem. Talis est testis secundus, Casparus Mayr, dum dixit, se nihil scire circa hanc Translationem; cum

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

tamen ejus Germanus Frater, Abrahamus Mayr, testis tertius candidè fateatur, se ea, quæ pro Monasterio locutus fuit, habere ex proprio Parentis sui ore; est enim imperceptibile, quòd ille nunquam vel Parentem, vel hunc Fratrem suum de similibus differentem audiverit; præsertim quia ulterius 6. Omnes reliqui testes ingenuè fatentur, quòd vulgi persuasio antehac semper fuerit, ipsique & alii omnes crediderint, Sacra Corpora in Rott fuisse translata, & quòd hæc persuasio constanter duraverit usque ad annum 1723. quo Corpora in Wiltpartingensi Sanctorum istorum sepulchro inventa, antelam dederunt populo existimandi, hæc esse veras illorum Exuvias, prout expressè fatetur testis quintus: ut proinde Testes isti, quippe plerisque conditionibus, quæ in his ad probationem faciendam communiter requiruntur, famam, ab Irschenbergensibus assertam stabilire non possint. Consequenter

9. Idem Irschenbergenses famam pro se allegare non possunt, & ex hac probare identitatem Corporum nuper inventorum cum SS. Reliquiis Sanctorum nostrorum; nam ut Farin. q. 47. à num. 207. ad 277. Pax Jordan. vol. 3. l. 14. tit. 18. n. 1017. Conciol. Resol. crim. V. fama. Resolut. 3. & 4. per tot. Sperell. decis. 173. n. 37. cum seqq. & decis. 174. n. 115. Carpz. p. 3. q. 120. n. 221. notant,

ut vim probandi fama habeat, debet esse uniformis, constans, perpetua, & inconcussa, non vaga, levis, & contraria, ita, ut ex nullo capite sit contradictio; adeoque non est tam facile probare famam: imò

Grammat. Conf. Crim. 42. num. 8. cum multis aliis magni nominis DD.

testatur, toto vitæ suæ tempore se non vidisse Proecessum, in quo fama esset legitime probata. Multò igitur minus probata censebitur fama, quæ 1. Nititur levi admodum Fundamento, qualis in hoc nostro casu est assertus ultroneus campanarum Wiltpartingensium sonitus. 2. Quæ orta primum est à tempore litis motæ, quam nullatenus attendendam monet Baldus,

quem allegat Marsil. in l. de minore. §. plurimum. n. 36. ff. de Question. Corn. Conf. 198. n. 12. Menoch. Conf. 195. n. 86. Rota decis. 469. n. 2. & 4. coram Seraphin. decis. 335. num. 5. p. 2. recent.

3. Contra quam stat alia fama contraria, antiquior, & magis probata; nam in concursu ea semper probatio est præferenda, quæ melioribus, & efficacioribus Fundamentis fulcitur,

ut cum Bartol. Marsilio, Saliceto, confirmant Alberic. Conf. 64. n. 21. & 24. Curt. Jun. Tract. de Feud. p. 1. q. 1. n. 15. Cravett. de antiq. temp. n. 8. 22. & 41. Mascard. de Probat. concl. 751. num. 1. vol. 2.

Imò si fama, ab Irschenbergensibus asserta, omni-

omnibus à Jure requisitis instructa esset, nihilominus ex hac illi intentum nequaquam evincerent; nam fama plenam probationem non facit, imò nec semiplenam, ubi alia adminicula, & circumstantiæ non concurrunt, ut notat Mascard. de Probat. concl. 755.

n. 6.

præcipue in præsentī Hypothesi, ubi agitur de Corporibus antiquis recens repertis, quorum nomina ob defectum Scripturæ penitus ignorantur; nam in hoc casu ad probandam eorum identitatem cum veris Sanctorum Reliquiis non sufficiunt demonstrationes generales, sed necessariò debent esse speciales, nec una tantum, sed plures, eaque aliis non adaptabiles,

prout probat Pignatell. tom. 6. consult. 61. n. 7. 9. & 10.

tales autem non sunt demonstrationes ex adverso allegatæ. Nam

23.

10. Argumentum, quod Irschenbergenses accipiunt ex carbonibus, qui primi Corporis nuper inventi ossibus commixti erant, non est tanti ponderis, ut ex eo inferri possit, quòd Corpus illud pertineat ad S. Marinum; imprimis enim, si carbones isti quidquam specialiter portenderent, ij utique non vagi, & cum gleba commixti, sed ut aliàs quoque Instrumenta Martyrii in aliis quoque SS. Martyribus passim servatum cernimus,

& notat Bossius in Rom. subterra. l. 3.

c. 23. cum Laderchio in Actis S. Caci-
lia Sacul. 1. p. 1. pag. 87. post medium,

in vasculum, aut saltem in cumulum unum collecti, fuissent appositi. Deinde iidem carbones, licet in unum cumulum collecti, fuissent inventi, non tamen ostendunt, quòd Corpus, apud quod illi inventi sunt, sit alicujus Sancti; nam carbones etiam aliorum Christianorum, quos Sanctorum honore, & appellatione Fideles non coluere, Sepulchris accensi imponebantur ad thus suffumigandum,

ut notat Mabillon. de cult. Sanct. ignot.

§. 4. §. mihi nunquam. ibi: certè in antiquis Christianorum tumulis non raro reperiuntur vascula sigulina carbonibus operata, quæ ad thus suffumigandum apposita fuisse nemo negaverit.

Denique esto, quòd carbones sic inventi signum sufficiens essent, quòd Corpus, apud quod illi inveniuntur, sit alicujus Sancti, & quidem Martyris, Martyrium per ignem passus; ex iis inferri nequit in nostra Hypothesi, quòd Corpus cum his nuper Wiltpartingæ inventum determinatè sit Sancti Marini; cum sint signum generale, & cuicumque per ignem Martyrium passus applicabile. Hinc ut determinati alicujus Corporis Sancti indicium præbeant, concurrere debent Argumenta alia, quæ generalitatem hujus signi determinent, & faciant, ut saltem simul juncta aliis competere nequeant,

prout Pignatell. l. cit. num. 9. & 10. respondet, ibi: Responderetur, dictam con-

clusionem, quòd identitas probetur duabus demonstrationibus, licet alia non verificentur, procedere solum, quando alia demonstrationes non sunt adaptabiles alii Corpori: secus verò, quando conveniunt alteri; quia tunc res ponitur in obscuro, nec propterea potest asseri, quòd constet de identitate Corporis -- unde liquet, quòd Postulatores teneantur probare, quòd Sanctus, cujus Reliquias petunt publicè proponere, sit idem in substantia cum descripto in Martyrologio. Et hæc quidem identitas concludenter probanda est ab eo, qui eam allegat, & in ea se fundat; aliàs succumbit, qui specificè non probat identitatem personæ. Consentiant Dian. Resol. Moral. p. 2. tract. 1. miscell. resol. § 1. §. quaritur primò. Monacell. form. legal. tom. 2. tit. 13. for. 2. n. 25. cum aliis apud Benedic. Schmier de SS. Eccl. p. 1. diff. §. de Reliq. & Venerat. SS. art. 2. n. 2. & duob. seqq.

addunt quidem Irschenbergenses indicia alia; & præcipue

11. Ex colore albo, & friabilitate ossium, quæ cum carbonibus commixta reperta sunt, & ex situ Corporis alterius, quò situ, scilicet ad Altare princeps converso capite inventum est, Irschenbergenses colligere volunt, quòd illa S. Marini, ista S. Aniani Exuvie sint. Sed & ista generalia signa sunt; nam imprimis color albus, & friabilitas non est ossibus ignem passis proprius, sed communis etiam cæteris, quæ in cœmeterio per multos annos jacuerunt, & ex hoc eruntur. Et esto color hic, & friabilitas indicarent, quòd ossa illa sint ignem passa, non magis inde inferri potest, quòd illa sint ex Corpore S. Marini, quàm alio quocunque, etiam non Sancto. Equè infirmum est Argumentum, quòd sumitur ex situ repertorum in hoc Wiltpartingensi monumento Corporum, quòd scilicet unum habuerit faciem ad Altare conversum, alterum ab eo aversum ad populum; nam ex hoc solum arguitur, quòd hic posterior fuerit Sacerdos, non verò prior. Sed ne hoc quidem ex situ isto probatur; nam olim omnes Christi Fideles exemplo Redemptoris capite versus altare converso sepeliebantur: differentia autem inter Sacerdotes, & non Sacerdotes primùm reperitur facta in Rituali Romano jussu Pauli V. edito 1614. in Cap. de Exeq. à quo proin tempore hanc differentiam fieri coepisse testatur.

Mabillon. append. 1. §. qua tempore. post Epist. de Cult. SS. Ignot. & antea §. 1.

Adde, quòd Sancti nostri non fuerint primò sepulti in Sacello Wiltpartingensi, utpote quòd tum nondum extitit, quando vitam clauerunt; sed postea primùm, cum Divino monitu inventi sunt, elapsis compluribus annis translati; ut proinde ex modo jacendi versus, vel contra Aram, etiam si Ritus iste jam tum viguisset, conjectura, vel suffragium

24

gium aliquod sumi non possit, quod identitati illorum Corporum cum Corporibus Sanctorum nostrorum faveat, præsertim respectu Corporis primò inventi, quippe cujus ossa non secundum ordinem, sed confusè, & promiscuè jacuerunt. Similiter

25.

12. Nihil concludenter inferri potest ex Miraculis, & Prodigijs, quæ dicuntur contigisse in Wiltparting; item ex Beneficiis, quæ ibidem Sanctos nostros invocantibus collata sunt. Nam & Rottenfis Ecclesia talibus Miraculis, & Beneficiis ad invocationem illorum obtentis celebris est, prout in Lectionibus, quæ in Festo illorum leguntur, tanquam indubitatum asseritur. Vel ergo volunt Irschenbergenses, ex his solis concludenter probari posse præsentiam Corporis, aut Reliquiarum alicujus Sancti; & tunc admittere debent, probatam esse sufficienter Translationem Sanctorum istorum in Rott, quod est impossibile; cum naturaliter idem in duobus locis esse non possit. Vel contra contendunt, ex his miraculis &c. concludentem probationem non sumi; & tunc ipsimet argumentum, pro continuata præsentia à se factum, suffocant. Certè quotidiana experientia docet, Clientum vota non tantum audiri in loco, ubi Sacra Sanctorum Corpora quiescunt actu, sed etiam ibi, ubi aliquando fuerunt reposita. Imò S. Hilarion, teste S. Hieronymo, quem refert Rosweyd. de *Vitis SS. PP. in vita ejusdem S. Hilarionis. lib. 1. pag. 85.*

Intercessione sua plura Miracula fecit in primæ sepulturæ loco, sito in Insula Cypri, quam in Palæstina, quò ab Helychio per furtum sublatus est ejus Corpus: Neque tamen Cyprii cum Palæstinis propterea de præsentia ejusdem Sacri Corporis contenderunt. Igitur ex Miraculis, quæ in aliquo loco ad intercessionem Sanctorum fiunt, nisi alia adminicula accedant, concludenter probari non potest præsentia Sacri Corporis, præsertim quia constat, Clientum vota audiri ubivis, ubi cum fervore, & fiducia invocant. Campanarum in Sacello Wiltpartingensi sonitus, qui annò 1672. auditus esse dicitur, & post quem auctus fuisse creditur Sanctorum istorum ibidem Cultus, pro miraculoso agnosci non potest; nam 1. Ex depositione unanimi testium, uno solùm excepto, duravit per breve, & tale duntaxat temporis spatium, quo bis salutatio Angelica, aut semel oratio Dominica decurri potest. DEI autem perfecta sunt opera, ac proinde durabilia saltem eò usque, ut inde agnosci possit Miraculum. 2. Sonitus iste non potest dici ultroneus: quia factus est, cum pueri conis prope dictam Capellam luderent, & quidem tam valida globorum vibratione, & jactu, ut isti ad dictæ Capellæ parietes allisi, ad non leve spatium resillirent: potuit igitur fieri, ut globi ludentium, magno impetu ad turriculam ejus Capellæ, quæ tunc lignea erat, impacti, in trabe, ex

qua eadem campanulæ pependerunt, excitarent tremorem, & sic illæ sonitum istum dederint. 3. Si DEUS per sonitum istum aliquid manifestare voluisset, credibiliter id præstitisset ad præsentiam collectæ cujusdam multitudinis, & non præsentibus tantum luforibus. Certè Episcopus, qui tunc gubernabat Ecclesiam Frisingensem, cum ipsi relatus fuisset prædictus sonitus, non fecit ulterius indagari; quòd rationabiliter profigmento illum haberet, pro quo habuerunt eundem alii quoque prudentiores. Esto autem, quòd & ultroneus, & miraculosus fuerit, non potest inde inferri, quòd per illum DEUS præsentiam realem SS. Corporum potius, quam aliquid aliud significare voluerit; præsertim verò vana persuasio fuisse credi debet, dum ex hoc campanarum sonitu nonnulli sibi finxerunt, Sacra hæc Corpora eo tempore, & sub hoc sonitu ex Rott rediisse Wiltpartingam; à prudentibus sanè hoc creditum non fuisse, inde licet colligere, quòd nec in Lectionibus pro Festo Sanctorum istorum compositis, nec in Concionibus eo Festo habitis, de hoc reditu ulla unquam fuerit facta mentio. Tota igitur res hæc, uti & auctus post campanarum sonitum modò examinatum, Sanctorum istorum inter Wiltpartingenses cultus, tale argumentum non præbet, quod sufficiat, ut exinde rationabiliter inferri possit identitas Corporum noviter inventorum cum Sacris eorum Liplanis; quippe pro qua identitate concludenda longè major est adhibenda cautela, ut aliis omisiss, advertit

Plouvier in *Epistola Eusebii Romani ad Theophilum Gallum pag. 18. 34. & 36.*

Fortiora longè argumenta stant in contrarium: nam præter famam Num. 20. assertam,

13. Rottenses pro se habent vetustissima Documenta; nam Sanctos istos in Rott translatos fuisse, & ibi quiescere, testantur Breviaria, ante quatuor, vel quinque Sæcula conscripta, Collecta, & Graduale Missæ non minoris ætatis; Literæ Fundationis Monasterii Rottenfis, donationes alia ejusdem factæ: quibus omnibus Instrumentis veneranda ætas tantam Authoritatem conciliat, ut iisdem plenè sit deferendum.

C. inter dilectos. 6. & C. fin. de Fid. Instrum. l. census. 10. ff. de probat. Conclitor. de Canoniz. Sanct. c. 14. num. 16. Castellin. Simili tract. q. 7. Scacchus de not. & sign. Sanctit. sect. 11. c. 6. §. si verò.

præsertim cum ex Archivio Monasterii delumpta sunt; nam hæc plenam, atque perfectam fidem faciunt,

ut apertè deciditur *Auth. ad hæc. C. de fid. Instrum.*

& ipsa Curia Episcopalis, quæ nunc contra Translationem istam sententiam tulit, eadem Instrumenta pro obtinenda à S. Congr. Lectionum in Sanctorum nostrorum festo recitan-

26.

citandarum approbatione, allegaverit; nam juxta Regulam, quod semel placuit, amplius displicere non debet. Neque hæc veneranda ætas suspicari sinit aliquam in his Instrumentis falsitatem, aut fictionem, quasi tunc primum Translatio ista conficta sit; sed potius præsumptionem facit, ista ex antiquioribus adhuc Documentis desumpta, atque ad hæc usque tempora continuata esse; ut adeo perfectam desuper traditionem conficiant.

Suar. de LL. l. 7. c. 4. n. 10. Pirhing. ad lib. 1. Decret. rit. 4. sect. 1. num. 2. Petav. Dogmat. Theol. tom. 1. c. 2. n. 2. circ. fin. ibi: *Quidquid autem est hujusmodi, de quo omnes inter se congruunt, id ed certè quàm proximè pertingit, quod illorum tanta consensus continet præscia, & ex alto repetita traditionis.*

27.

14. Eandem Translationem, & actualem existentiam SS. Corporum in Rott plurimum confirmat præsumptio, quæ capitur ex Templo, in honorem Sanctorum istorum constructo; nam per dispositionem antiquorum Canonum non licebat Basilicas, seu Tempula Martyrum construere, nisi in iis locis, in quibus Martyres ipsi aut passi essent, aut habitassent, aut Corpora eorum, vel Reliquiæ insignes conservarentur,

ut liquet ex Concil. Carthagin. 5. sub Anastasio Pap. Can. 14. apud Labbè, ibi: *Omnino nulla memoria Martyrum acceptetur, nisi aut ibi Corpus, aut aliqua certa Reliquia sint, aut ubi origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur.* Concordant Concil. Gangren. in Epist. ad Episcop. Armen. & can. 20. Cabilonens. can. ult. S. August. serm. 113. Card. Bona. Rer. Liturgic. l. 1. c. 29. pag. 146. Jacob. Laderch. dissert. Histor. de Basil. SS. Marcellini, & Petri. p. 2. n. 15. ferè per tot. Et in Actis S. Cæciliæ Sacul. 3. §. hic adde. pag. 139. tom. 1.

Cum ergo Ecclesia Rottensis non sit constructa propter habitationem, vel passionem Sanctorum istorum; cum constet, eos habitasse, mortemque oppetiisse in Wiltparting, alius titulus eam construendi superesse non potest, nisi quod tum temporis pro certo habitum sit, ibi Corpora Sanctorum istorum quiescere. Certè Foundationem adeo magnificam pro Monasterio Rottensi non fecissent Fundatores illius, nisi eos quidquam altius, nempe ipsa dictorum Sanctorum Corporum præsentia ad id animasset, quæ apud ipsos tam indubia fuit, ut ipsam Ecclesiam, & respectivè Monasterium Hæredem ex asse instituerint. Auget præsumptionem hanc modus, quo iidem Fundatores in transcriptione bonorum suorum sunt usi; nam, ut Literæ Foundationis loquuntur, Bona ista ad Altare SS. Marini, & Aniani procedentes, tradiderunt DEO, & Sanctis Ejus. Ubi notanda est consuetudo Veteribus usitata, qui bona sua Ecclesiis, vel Monasteriis tradere,

& donare solebant ad Altare, ubi Sanctorum Corpora quiescebant,

prout testantur Anastas. Bibliothec. de Donat. Carol. Mag. fact. Eccles. Roman. Bignonius ad formul. Marculf. pag. 430. Novarin. l. 12. c. 19. per tot. Maillon. Act. Sanct. in Vita S. Columbani Sacul. 2. pag. 50. Anton. Erl. Atlant. Bavar. pag. 71.

Idem mos observatus est etiam in aliorum Donationibus, vel Dispositionibus factis cum, vel in favorem ejusdem Monasterii, qui semper supponebant, Sanctorum istorum Lipsana in Ecclesia illa quiescere: ut adeo hic communis eo tempore fuerit sensus, à quo non est ita facile recedendum, nisi aliud in contrarium usque ad evidentiam urgeat; cum longè melius sit, tanto numero testium omni exceptione majorum deferre, quàm aliud in dissensionem, & scandalum populorum decernere, ut totidem ferè verbis respondit Cælestinus III.

C. quod dilectio. 3. de consang. & affinit. Salgado de Supplic. p. 1. c. 6. n. 1. & c. 18. n. 4. Valenzuel. Conf. 24. n. 2. & Conf. 52. à n. 50. cum aliis ibid. citr.

15. Omnem in hoc casu dubietatem submovet Authoritas S. Congregationis, quæ ad instantiam Celsissimi Episcopi Frisingensis Lectiones, ab ipsomet Parocho Irschenbergensi compositas, in Festo nostrorum Sanctorum recitandas, ubi expressè refertur, Sacra eorum Corpora ex loco Wiltparting, ad honoris illorum augmentum à Fidelibus Rottam fuisse translata, approbavit, & ut à toto Clero Diocesis Frisingensis recitari possent, concessit: quæ approbatio tantum momenti est, ut Lectiones sic recognita, & approbata, ab Authoritate Sedis Apostolicæ vires assumant, ut totidem verbis, contraria refellendo, docet

Jacob. à S. Anton. in Append. Consult. resolut. 3. n. 19. Laderch. in Act. SS. Martyr. p. 2. lib. 6. c. 7. cum seqq. per tot. Et in Actis S. Catharina Resp. 33. §. captiosam hanc, cum seqq. pag. 91.

& universim, quod definitiones, & oracula SS. Congregationum cum omni semper obsequio, & reverentia suscipi debeant,

monet Rota decis. 878. num. 10. coram Dunoz jun. decis. 5. n. 12. coram Celso, & decis. 72. n. 7. coram Anfaldo. cum aliis.

Neque obstat, quod Historici, & alia quævis Documenta, quæ de his Sanctis pertractant, unam tantum Translationem commemorent, eamque dicant, factam esse Aurisium, sub quo nomine cum veniat locus Wiltparting, Lectiones prædictæ de his Sanctis quoad hoc punctum videntur esse mendosæ; nam constans omnium ferè Scriptorum sententia tenet, sub nomine Aurisii Solum Rottense intelligi,

ut

ut videre est apud Joannem Aventinum pag. 115. & 260. Wolfgang. Latium, de Republ. Roman. pag. 1088. Christoph. GeWold. in delineat. Veter. Noric. Lit. a. Marc. Welfer. Histor. Bavar. ubi de di-
ctis Sanctis. Brunner &c.

Quod confirmant Instrumenta Emphyteu-
seos, Locationis, & aliorum contractuum
initorum, & Tituli Mensæ, ut vocant,
nonnullis collati, ubi expresse dicitur, eos
concessos fuisse apud Aurisii Monasterium
SS. Marini Episcopi & Martyris, & Aniani
Confessoris: ut adeo constet, locum, mo-
do Rott appellatum, olim Aurisium nun-
cupatum fuisse. Deinde, esto, quod Au-
risii nomine veniat locus Wiltparting, nul-
lus tamen ex hoc error, mendum, vel con-
tradictio, quæ Lectiones prædictas vitiet,
benè concluditur; nam omnes Scriptores
dicunt, SS. Corpora, postquam diu in loco
Wiltparting incognita jacuerunt, ex Revela-
tione Divina fuisse inventa, & ibidem ho-
norificentiori tumulo recondita; tandem
verò, cum ibidem centum quinquaginta an-
nis quiescissent, iterum levata, & transpor-
tata Rottam. Æquè parum obstat, quod
Rottæ de S. Marino solum Cranium, de S.
Aniano autem nihil ostendi possit; nam
plura sunt hujusmodi Sanctorum Lipsana,
de quibus ex Traditione certò constat, in
certo loco illas esse reconditas, nec tamen
ideo, quod digito demonstrari non possint,
cadit Traditio, aut falsitatis convincitur.
Corpus S. Nonnosii usque ad nostra tempo-
ra ignotum erat, ubi esset repositum, & ta-
men Frisingenses certa Traditione, tabulisque
innixi, firmiter, & rectè crediderunt, the-
saurum istum apud se esse reconditum. Pa-
riter ergo etiam Rottenses meritò pugnant
pro suo thesauro; cum & ipsi antiquissima
Traditione, & Instrumentis muniti sint. Qui-
bus confirmationem addit, quod in eorum
Ecclesia à multis retro Saculis Sanctorum
istorum Festum 15. Novembris sub Duplici
primæ Classis in Choro, & foro celebretur.
Illud verò, quod Irschenbergenses objiciunt,
scilicet, Sacra hæc Corpora à Rottensibus in
Ecclesia sua pavementum evertendo sollicitè
inquisita, inventa tamen non esse, in rei ve-
ritate non subsistit. Fuit quidem anno 1723.
Mense Septembris Frisingam delatus rumor de
hac inquisitione ab ipsis facta, & idcirco in-
de missum Inhibitorium 15. ejusdem Men-
sis, ne quid deinceps sine præsentia Domini
Decani Ayblingensis tentarent; sed eadem
die Monasterium respondit, se ne quidem de
hac perquisitione cogitasse. Et esto, quod
Monachi Rottenses dicta SS. Corpora quæ-
sierint, nec invenerint; hinc tamen non se-
quitur, ea non fuisse Rottam translata; nam
& Corpus S. Julianæ Virginis in oppido
Ifen, ita volente Celsissimo Frisingensi, se-
dulo inquisitum, nec tamen inventum est;
quo non obstante, omnes pro certo habent,
Sacrum hoc Corpus ibi existere, hoc nixi

Fundamento, quòd apud Ihanenses extet In-
strumentum, in quo quidam dictus Ihanold
Ecclesiæ Ihanenii quandam notam contulit
his verbis: ubi S. Juliana Corpore quiescit: &
quia Ihanenses Festo die hujus Sanctæ, nem-
pe 16. Februarii à servilibus abstinent,
prout colligitur ex Historia Frisingensi
lib. 2. pag. 134.

Pariter ergo in dubium trahi non debet pos-
sessio SS. Marini, & Aniani, quam pro se
stare Rottenses similibus argumentis defen-
dunt, licet has SS. Reliquias, multo labo-
re quæsitæ, non invenissent: quæ possessio
eò certior esse debet, quia

16. Evidentiæ facti demonstrat, Corpo-
ra nuper inventa in monumento Wiltpartin-
gensi, non posse esse dictorum Sanctorum.
Nam 1. Cranium, quod à Rottensibus col-
litur, ab Irschenbergensibus etiam non ne-
gatur esse cranium S. Marini, debetque illud
absque controversia esse cum isto identicum;
aliàs Episcopi Frisingenses ejus cultum pub-
licum non permisissent

contra dispositionem c. fm. de Reliq. &
vener. SS. & Concil. Trid. Sess. 25. in
Decreto sub simili titulo.

Non potest autem hoc cranium esse pars
Corporis nuper inventi in Wiltparting,
quòdque à Wiltpartingensibus creditur esse
ejusdem S. Marini; nam inprimis Cranium
istud est subatri, & plane subcinericii colo-
ris, qui color etiam sine alio Peritorum ju-
dicio luculenter ostendit, illud ignem pas-
sum fuisse. Contra ossa reperta in Wiltpar-
ting subalbi, & ab aliis in quovis cœmeterio
reperiendis ossibus minime diversi coloris
sunt. Deinde ex Calvaria Wiltpartingæ re-
perta, quæ S. Marino tribuitur, vel nulla,
vel non tanta pars deest, cujus defectum non
excedant Rottensia non mediocria frustra Sa-
cri Cranii; ut proinde ad evidentiam infer-
ri possit, Calvariam istam Wiltpartingen-
sem, adeoque etiam reliqua ossa non esse
cum vero Corpore S. Marini identica. 2. Si-
militer etiam non potest pro SS. Exuviis S.
Aniani agnosci Corpus alterum ex repertis;
nam, ut constat ex Instrumentis Rottensibus,
tempore Ottonis Frisingensis Episcopi, cum
iste in causa Prædii Nyfarnensis Mediator
esset inter Monasterium, & Comitem Pala-
tinum, vel ipsum Corpus, vel saltem nota-
bilis pars de Corpore S. Aniani ex Rott, cum
Reliquiis S. Marini, ut super iis Palatinus
Prædium istud restitueret, Frisingam dela-
tum est. Igitur illud novissimum Corpus,
cui juxta Informationem, à Curia Episco-
pali datam, nulla pars deest, ad dictum S.
Anianum pertinere non potest, sed alterius
cujusdam erit, quod, Translatione Corpo-
rum Sacrorum facta, more Veterum ibi se-
pultum est: quam præsumptionem auget ex-
quisitus ille ordo, quo ossa hæc in tumulo
Wiltpartingensi reperta sunt, ita scilicet, ut
post Calvariam ossa colli, tum humeri, bra-
chia cum costis, deinde crura, ac denique
pedes

pedes cum juncturis ad juncturas scitissime apposita cernerentur: quod jure credi facit, Corpus illud in eo loco primam sepulturam accepisse, & non aliunde translatum, prout cum Corpore S. Marini Corpus S. Aniani à Tolusio Episcopo, & Priamo Sacerdote translatum est, & honorificentiori loco juxta Acta in Ecclesia Wiltpartingensi sepultum est; neque enim ita scite corporis jam consumpti ossa componi facile potuissent. 3. Eadem Corpora Wiltpartingensia inventa sunt profundo luto immersa, adeo, ut non nisi post plurimam terram egestam perveniri ad ea potuerit. Non est ergo credibile, quòd hæc eadem sint cum illis, quæ juxta Lectiones à S. Rit. Congreg. novissime approbatas, monitu Divino inventa, honorificentius deposita sunt; non enim Corpora Sanctorum reperta, iterum terræ infodiuntur, sed juxta morem inconcussum Ecclesiæ, si non auro, argento, aut marmore, saltem cavo lapide, sicco tamen, & à gleba vacuo, vel alia durabili materia, addita inscriptione, vel aliis certis indicis ocludi solent, ut pluribus exemplis adductis late probat

Boldett. *observ. l. 3. c. 6. ferè per tot.*

Atqui 4. Apud Corpora recens inventa nulla aderat tabula, nulla Scriptura, vel aliud signum, ex quo identica illa esse cum Sanctorum Corporibus probari posset. Corruit ergo moralis certitudo, quæ juxta AA. ad probandam hanc identitatem requiritur,

ut videre est apud Matthæucc. *Proam.*

Quæst. de caus. Beatif. & Canoniz. n. 48. & seqq.

5. Inventa quidem in cavitate monumenti Wiltpartingani est cariola pars crucis: sed ista pro signo ejusmodi valere non potest: quia crux sepulchro apposita, signum tantum est, ibi Catholicum esse sepultum, non autem, quòd Sanctus ibi depositus sit: alias tot essent per Ecclesiam Sacra Corpora, quot in cæmeteriis sepulchra cruce signata; cum inter Fideles semper vigerit mos saluiferum Crucis vexillum cunctis ferè in locis erigendi, ita, ut etiam urgente Diocletiani persecutione, ante se illud deferrent,

ut testantur Nicephor. *l. 7. c. 15. Andr.*

Cretenf. Homil. de Exalt. Cruc. Sur. in vitis Sanctor. ad diem 23. Decemb. & 8.

Jul. Laderch. Dissert. Histor. de Basilic. SS. Marcellini & Petri. p. 3. c. 5. ferè usque ad med.

6. Ipsi Irschenbergenses singulis annis ferè 6. post Festum Inventionis S. Crucis ab inmemoriali tempore, & absque interruptione, cum quinque, sex, aut pluribus vexillis solennem Processionem instituunt in Rott, & eorum Parochi altero ab Adventu die Sacrum solennissimum de SS. Marino, & Aniano decantant, infertis Collectæ principali verbis: *Magnificet te, Domine, SS. Marini, & Aniani beata Translatio. &c.* Quam non mutarunt, nisi quando post inventa controversa Corpora in Wiltparting, ea dictorum Sanctorum esse

existimarunt; à quo tempore hodiernus Parochus voci *Translatio* substituit vocem *Solennitas*. Profectò tam longam sex, vel novem etiam horarum peregrinationem non suscepissent, nisi usque ad inventionem dictorum Corporum tam Parochi, quam Parochiani semper, & absolute supposuissent, & pro indubitata habuissent eorundem SS. Corporum Translationem. Retorquent quidem Irschenbergenses Argumentum hoc, quòd etiam Rottenses supplicationem annuam ducant in Wiltparting: sed non est paritas: Rottenses enim huc excurrunt, non ut venerentur SS. Corpora, quæ nihilominus credunt apud se existere; sed ut colant primævum sepulchrum, in quo illa ante tot Sæcula jacuerunt. Accedit denique, quia

17. Etsi nunc monstrare locum, ubi Sacra Sanctorum nostrorum Corpora, quæ habere se dicunt, apud se reposita sint, Rottenses non possint, fortè tamen aliquot continget, ut reperiantur, prout ante aliquot annos Frisingæ repertum est Sacrum Corpus S. Nonnosi, & de S. Firmino Martyre Episcopo Ambianensi similiter contigit referit Guibertus Novigentinus

Apud Natalem Alexand. *tom. 6. pag. 518.*

ubi testatur, Godefredum Ambianensem Episcopum Corpus aliquod ibidem reperisse, atamen sine Inscriptione, & alio indicio sufficienti, & nonnullis motum præsumptionibus, sub nomine S. Firmini Martyris, & ejusdem loci ibidem Episcopi, publicè venerandum proposuisse: postea verò DEO sic disponente factum, ut ipsismet S. Firmini Corpus cum certa Nominis Inscriptione in Monasterio S. Dionysii reperiretur. Ut proinde tuto, & sine periculo prostituendi auctoritatem hujus S. Congregationis Corpora, nuper Wiltpartingæ reperta, pro veris Exuviis SS. Marini, & Aniani declarari non possint; nam calu, quòd dictæ S. Exuviae aliquando reperiantur in Ecclesia Rottensi, dicta S. Congregatio reformare Declarationem suam deberet cum non levè probro suo, & scandalo. Imò idem probrum, & scandalum sequeretur, etiamsi ponamus, Rottæ nunquam repertum iri hæc SS. Corpora, si, postquam Translationem eorundem Sanctorum factam in Rott in Lectionibus sibi exhibitis approbavit, nunc pro Corporibus recens inventis rescriberet; sequeretur enim, Reliquias, & Exuvias, Rottæ existentes, quas memorata Congregatio, ut Sacras Reliquias hominum verè Sanctorum approbavit, esse hominum, nescio quorum, & fortè damnatorum, sicque necessarium esset, eandem Congregationem in approbatione citatarum Lectionum turpiter errasse, permittendo cultum Reliquiis non veris, atque ita si non idololatriæ, saltem superstitioni quodammodo causam præbendo. Imò si repetita S. Congregatio, post approbatas, quæ Rottæ existunt, Reliquias, nunc se corrigeret, & rescri-

Scriberet pro Corporibus Wiltparingæ re-
pertis, Fidelium vulgus etiam certas, & indu-
bitatas quorumvis Sanctorum Reliquias,
quamvis temerè, in dubium revocare pote-
rit: atque ita paulatim collabatur debita erga
illas Religio, & veneratio:

quia, ut inquit S. August. *libr. de mendac. c. 10. fracta, vel leviter diminuta auctoritate veritatis, omnia dubia remanebunt, quæ, nisi vera credantur, teneri certa non possunt.*

Quæ proinde, si benè perpendantur, abun-
dant præbebunt Fundamentum ad hoc, ne
aliqua hodie in contrarium innovatio fiat,
sed in antiquo statu res relinquatur, præsertim
cum Argumenta Wiltparingensium videantur
multò infirmiora esse illis, quæ pro se
Rottenfes afferunt: ut proinde non obstet
doctrina Suarii,

in 3. part. D. 55. sect. 5. §. sed quæret aliquis.

ubi ait, non obstare quale quale erroris peri-
culum, quod esse posset, ne pro veris falsæ re-
liquiæ adorentur. Nam Doctor Eximius
loc. cit. tantum firmat, Reliquias, cultui publi-
co expositas, esse *absolutè* adorandas: adeo-
que non loquitur de probandis, vel medio
probandarum (ut in præfenti controvertitur)
sed de probatis jam Reliquiis, idque potius in
favorem, & ad tranquillandam conscientiam
subditorum Fidelium, eas colere volentium,
quàm Judicum Ecclesiæ, quos ad earum rigi-
dum examen amandat, dum paulò post, non-
nullis recitatis Exemplis de Reliquiis adhuc
non expositis publicæ venerationi, ita pro-
nuntiat: *Quando res dubia est, & incerta, tunc
quidem abstinendum est à cultu, non tamen Re-
liquia conculcanda sunt, & contemnenda, sed se-
paratim custodienda.* Similem cautelam Ba-
ronius

ad annum Christi II. n. 55.

Ex Gregorio Magno describit: quia nempe
Prælatorum Ecclesiæ est, non solum forma-
les, sed etiam materiales errores in subditis
pro vitibus devitare,

*Responsiones ad hæc Argumen-
ta, quas Wiltparingenses dant, vel
dare possent.*

31.

AD I. Negatur, quòd in præfenti Casu
ad sit verum, ac morale dubium: nam
postquam reperta sunt duo ista Corpora in
Wiltparing, auditi per Delegatum Episco-
palem sunt testes omnino undecim, qui omnes
juramento testati sunt de constanti fama, quòd
Corpora SS. Marini, & Aniani semper quie-
verint in memorata Ecclesia loci Wiltpar-
ting, & plures eorum deposuerunt de con-
stanti in eadem Ecclesia horum veneratione,
ac de solennibus Processionibus, quolibet
anno ad præmemoratos Sanctos in Wiltpar-
ting institutis, nec non de auxilio, quòd in va-
riis necessitatibus per intercessionem illo-

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

rum, in prædicto loco, & ad sepulchrum eo-
rum imploratam vel ipsimet experti sunt, vel
alios expertos esse audiverint. Quibus
omnibus, si accedant reliqua argumenta, *Num.
8. & quinque seqq.* proposita, videtur adesse
moralis certitudo pro identitate Corporum
recens inventorum cum veris Reliquiis præ-
dictorum Sanctorum: nam licet illa demon-
strativa non sint, talia tamen sunt, ut inde pru-
dens judicium pro eadem identitate formari
possit, quòd testibus DD.

Apud Matthæucc. *de caus. Canoniz. &
Beatif. quest. proam. c. un. n. 48.* Bar-
bol. *de offic. Episc. alleg. 97. n. 18.* Mat-
ta *de Canoniz. Sanct. p. 4. c. 29. n. 15.*
Monacell. *formul. legal. pract. tit. 13.
fol. 48. n. 25. & alios,*

sufficit, ut Reliquiæ alicujus Sancti, quem ta-
lem esse constat, ad publicum cultum expo-
ni possint, innuente hoc ipsum Trid.

Sess. 25. Decret. de Reliq.

Ubi Episcopis iniungitur, ut, cum de recipi-
endis, & cultui publico exponendis novis
Sanctorum Reliquiis agitur, Episcopus reco-
gnoscat, & simul atque de iis aliquid com-
pertum habuerit, adhibitis in consilium Theo-
logis, & aliis piis Viris ea faciat, quæ veritati,
& pietati consentanea judicaverit. Neque
obstare videtur contradicção Rottenfium;
nam si non obstante contradicçãoe partis
negantis identitatem, pro ista stent Rationes
ita ponderosæ, ut faciant certitudinem mo-
ralem, & practicam, pro eadem sententian-
dum est. Tales autem rationes afferuntur à
Wiltparingensibus; nam hi se fundant præ-
cipuè in primævo sepulchro apud se existen-
te, & in superposita huic Inscriptione, ex qua
certum est, SS. Marinum, & Anianum eò
ipso in loco, ubi modò reperta sunt Corpora
Quæstionata, sepultos primò fuisse. Igitur
ex possessione primævi hujus sui sepulchri
dejici non possunt, sed dici debet, eos ibi
mansisse, usque dum idoneis testibus probe-
tur, eos aliò fuisse translatos: hæc autem
Translatio non satis probatur, sed potius ex
communi fama, constanti Fidelium concúr-
su, prodigiis, & beneficiis ad invocationem
Sanctorum istorum indultis, videtur appare-
re contrarium: consequenter iidem Wilt-
paringenses afferunt fundamentum, ex quo,
rejeçtis contradicçãoibus Rottenfibus, pru-
denter credi possit, eadem SS. Corpora apud
se usque ad ultimam, & nuperam levationem
mansisse. Proinde pro identitate Corporum
recens inventorum cum SS. Exuviis dictorum
Sanctorum rectè pronuntiatum est à Curia
Episcopali Frisingensi: neque in hoc casu su-
spensa per Trid. *loc. cit.* est Jurisdicção ejus-
dem Celsissimi Ordinarii; nam S. Synodus
dicto loc. solum loquitur de casu, quo pru-
dens est dubium: consequenter extendi non
debet ad casum, ubi pro una parte stant argu-
menta solum probabilia, pro altera verò mo-
raliter, & ita certa, ut, non obstantibus argu-
mentis

X

32.

mentis contrariis, prudenter adhuc mereantur assensum.

Ad 2. Inscriptio hæc, non obstante, quòd antiquissima, & in loco patenti, ac publico posita sit, Translationem Sanctorum nostrorum non probat; quia antiquitas, & locus publicus pro hujusmodi monumentis, & Inscriptiõibus præsumptionem veritatis tamdiu duntaxat faciunt, quamdiu de errore, & repugnantia cum veritate facti non convincuntur. Atqui Inscriptio, super quam Rottenses præcipuè sese fundant, aperte vincitur de hujusmodi errore, & repugnantia; nam attentis Historicorum dictis, & relationibus eorum, SS. Marinus, & Anianus potestatem Evangelii prædicandi acceperunt ab Eugenio primò, qui gubernavit Ecclesiam anno 655. & vix per annum eidem præfuit: subin juxta eosdem Historicos iidem Sancti supervixerunt annis 40. & juxta Inscriptiõnem prædictam post mortem in Wiltpartingensi sepulchro jacuerunt annis 150. Quod si verum est, non potuerunt inde levari, & transferri in Rott ante annum Christi 845. Consequenter, dum dicta Inscriptio dicit, Translationem in Rott factam esse anno Christi 709. apertam contradiccionem cum Historicorum Relationibus, in quibus tamen Rottenses se pariter fundant, continet. Scriptura autem, quæ contradictoria, & repugnantia continet, si hæc sit in verbis narrativis, seu enuntiativis substantialibus circa locum, tempus, testes, & similia, neque quoad articulum, de cujus falsitate constat, neque quoad alios connexos (prout in hoc nostro casu est Translatio respectu falsæ appositionis anni, quo facta Translatio ista exprimitur) ad probationem servire potest.

Mascard. de probat. concl. 743. n. 1. & seqq. Et Menoch. l. 5. præsumpt. 21. num. 6.

Imò nec etiam extra expressionem falsi hæc Inscriptio satis probaret, quod Monasterium intendit; tum quia in causis magni præjudicii (qualis præsens esse dignoscitur) Scriptura, & Literæ antiquæ, marmoribus insculptæ, semiplenam duntaxat probationem faciunt, ut cum pluribus aliis tenent

Abb. in c. cum causam. de probat. Cravett. tract. de antiq. temp. p. 1. §. viso de verbis. n. 1.

tum etiam, quia obstaret possessio primævi sepulchri, pro Ecclesia Wiltpartingensi inconcussè militans, quæ à nemine controversitur: ut propterea memorata Ecclesia ab hac sua possessione deicienda non sit, maxime quia in eo individuo loco nuper inventæ sunt sæpè dictæ Reliquiæ. Quod additur, illos, qui Monumentum hoc Wiltpartingense posuerunt, & Inscriptiõnem prædictam fecerunt, utique scripsisse, quòd Corpora illa, quæ in fundo hujus Monumenti inventa sunt nuper, non sint dictorum Sanctorum, sed aliorum Fidelium, qui post Sanctos istos

Rottam translatos majoris devotionis, & fiducia causâ tumulati ibidem sunt, mera est divinatio, & ideò Wiltpartingensibus non tollit præsumptionem identitatis Corporum nuper inventorum, & istorum Sacrorum Pignorum, quam ex possessione primævi sepulchri capiunt. Similiter nihil probat, quòd Episcopi Frisingenses Inscriptiõnem hanc, qua asseritur, Sacra hæc Corpora Rottam translata esse, hucusque sine contradiccionem toleraverint; vel enim Sermo est de illis Episcopis, qui tempore, quo Monumenti Wiltpartingensis positi non amplius exstabat memoria, successerunt, vel de prioribus, qui tempore, quo Translatio facta esse dicitur, rexerunt Ecclesiam Frisingensem. De illis, qui post Sæculum, vel Sæcula à tempore assertæ Translationis vixerunt, dici potest, quòd hac ipsa Inscriptiõne decepti, perfusam sibi Translationem illam habuerint, & ideo non contradixerint. Primi verò illi, qui viciniore illis temporibus fuerunt, quid in hac re fecerint, constare non potest; cum ea tempestate hominibus exigua cura fuerit de notitia rerum gestarum transmittenda ad posteros, & insuper, si qua fortè annotaverunt, inter tot bella, & grassationes hostiles, quibus Wandali, Hunni, & alia barbaræ Gentes, Germaniam, & alias finitimas Regiones depopulati sunt, facile interire potuerint.

Ad 3. Esto Litera P. Inscriptiõni Wiltpartingensi apposita, ambigua sit, adhuc tamen eadem Inscriptio falsitatis vincitur; dicit enim, quòd Sacra hæc Corpora in Rott translata sint illo Sæculo, quo post Nativitatem Christi numerabantur anni septiescentum: quod combinatis Historicorum relationibus, & iis, quæ in Inscriptiõne asseruntur, verum non est; cum juxta Num. præc. ea Translatio non potuerit fieri, nisi sequentis Sæculi anno 45. Imò ne hoc quidem Sæculo potuerunt fuisse translata Rottam; nam, si credendum est Historicis, quos pro se Rottenses allegant, non statim post mortem Monumento Wiltpartingensi illata sunt, sed centum omnino anni, antequam à Tolusio Episcopo, & Priamo Sacerdote elevarentur è loco, ubi post mortem sepulta sunt, transferunt. Producent ergo Rottenses pro se contraria inter se Instrumenta, scilicet Inscriptiõnem hanc sepulchralem, & Historicorum relationes; quo casu neutri Instrumento juxta l. imputari. 13. & l. Scriptura. 14. Cod. de fid. Instrument.

habenda est fides quoad Articulum, in quo contrarietas talis invenitur, & huic connexos: talis autem Articulus, sic connexus, est Translatio respectu temporis, quo illa contigisse asseritur. Dixi quoad Articulos connexos. Nam,

ut Fachin. l. 9. contr. Jur. c. 79. notat, Instrumentum ratione falsitatis in ea duntaxat parte vitiatur, in qua falsitas deprehenditur. Unde Wiltpartingenses bene adhuc

se fundant in dicta Inscriptio, & ex ea legitime probant, quod apud se sepulta sint Sacra Sanctorum istorum Corpora; tum quia Articulus iste à Translatione per Rottenenses asserta, est prorsus separatus; tum etiam, & præcipue, quia in hoc Articulo omnes Scriptores, ipsæque etiam partes conveniunt. Bollandus, & hujus continuatores, qui Acta Sanctorum conscribunt, Instrumenta, quorum errores demonstrant, non omnino rejiciunt quoad eos duntaxat Articulos, quorum veritas aliunde indubitato constat.

34. Ad 4. Quidquid sit, an Sacra Sanctorum Marini, & Aniani Corpora tot annis, & quomodo, totaliter, vel partialiter manserint incorrupta, parum id refert ad substantiam præsentis controversiæ; hinc Irfchenbergenses necesse non habent, ut in hoc Argumento fundent intentionem. Veritas assertæ incorruptionis dependet à veritate Translationis; nam si dicta SS. Corpora translata, & sepulchrum eorum, in quod à Priamo Sacerdote, & Clericis deposita sunt, apertum deinde amplius non fuit, de hac incorruptione resciri, nisi revelatione Divina, nil potuit. Cæterum incorruptio hæc intelligi fortè debet de tempore hujus primæ Translationis; nam de hac Documenta habentur, quod facta sit, & tum ipsa SS. Corpora fuerint reperta incorrupta. Quod verò postea credita fuerint translata Rottam, fortasse occasione dedit Nomen *Aurifum*, sub quo nomine aliqui Wiltpartingam, alii Rottam venire existimant. Hinc factum esse potuit, ut Posterius, credentes, Aurifum idem esse eum Rotta, etiam credere inceperint, eadem SS. Corpora fuisse translata in Rott: qua credulitate inducti quidam, permittente Episcopo, utpote eadem opinione decepto, Inscriptio Sepulchro Wiltpartingensi incisa, eandem Translationem, in Rott factam, testatam fecerunt. Atque hinc

35. Ad 5. Excusari à falsi crimine possunt hujus Inscriptiois Authores, utpote communi persuasioni ad credendam hanc Translationem inducti; ob quam ipsam persuasionem etiam Patochiani, & Parochus, si quis tum adfuit, non impediunt, ne eidem Monumento Wiltpartingensi Inscriptio ista incideretur. Quare ex hac Inscriptioe minime sequitur, multò minus luculenter probatum censei debet, quod Corpora, in Wiltpartingensi sepulchro nuper reperta, sint aliorum quorundam Fidelium. Solebant quidem antiquitus Fideles, pietate, ac devotione moti erga Sanctos, in SS. Martyrum sepulchris sepulturam quandoque eligere; sed hoc tum solummodo, quando constabat de SS. Reliquiarum Translatione; vel si translata illæ non fuerunt, ponebantur illæ in ornata quadam arcu, prout Baronius *loc. cit.* in sepultura Eusebiæ cum Reliquiis SS. Quadraginta Martyrum Sebastianorum factum esse commemorat. Unde

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. 1.

cum in Casu nostro Translatio probata non sit, dici non potest, Corpora nuper reperta fuisse alia, quam nostrorum Sanctorum.

36. Ad 6. Quod attinet ad Historicos patrios, ij totum hoc, quod de prætenfa Translatione Sanctorum istorum suis libris inseruerunt, ex Actis, & Monumentis Rottenfibus se habere fatentur: hinc ab istis relata majorem fidem non merentur, quam fontes, ex quibus sunt hausta: quantam autem fidem Monumenta ista ad probandam Translationem asserta faciant, examinabitur in *Respons. ad 13.* Potius, assumptâ doctrinâ, juxta quam Monumenta, Documenta, Historiæ, Scripturæ, licet quoad unum Articulum de falsitate convincantur, quoad alium tamen articulum non connexum, ubi falsitas non reperitur, servire ad probationem possint, sic licet arguere. Ex Historicorum omnium, & ipsarum partium communi consensu, nemine contradicere audente, constat, quod Sancti isti obiierint in Wiltparting, & ibi sepulti sunt, in cujus probationem etiam ibidem extat usque ad præsentem diem sepulchrum, cocto lapide extructum, & satis decenter ornatum. Igitur nisi Sacra illorum Corpora aliò translata esse manifestè probentur, ista eadem esse censenda sunt cum iis, quæ nuper in eodem sepulchro reperta sunt. Porro, quod Documenta ista, in quibus dicti Historici quoad Translationem à se assertam se fundant, sumpta sint ex Archivio Monasterii Rottenfensis, non auget in illis vim probandi; quia plenam, ac perfectam fidem solum faciunt Scripturæ productæ ex Archivio publico, qualia non sunt Archivia Monasteriorum, nisi istis jus Regalium competat. Hinc Scripturæ ex talibus Archiviis de promptæ, præsumptionem quidem faciunt, præsertim si juventur aliis adminiculis, non tamen probant perfectè contra extraneum, ut cum Bald. *ad l. 7. C. de probat. n. 1.* docent communiter DD.

37. Ad 7. Fama, quam pro se allegant Rottenenses, præcipuam originem suam debet Inscriptioi sepulchrali; consequenter plus Autoritatis habere non potest, quam ista Inscriptio, in qua fundatur: & huic famæ opponitur fama contraria pro existentia SS. Corporum in Wiltpartingensi Monumento, Opponunt quidem huic famæ Rottenenses, quod sit omnino nova, non uniformis, non communis, non sufficienter probata. Sed distinguendum est inter famam, ex qua habetur, quod Sancti nostri primitus fuerint sepulti Wiltpartingæ, & inter famam alteram, qua sustinetur, eorum SS. Corpora semper persistisse in suo primævo sepulchro. Esto, quod posterior hæc fama, antiquitate, communi consensu, & sufficienti probatione destituatur (de quo mox videbimus) prior saltem antiquissima, à Rottenfibus etiam confessata, & ipsis eorundem Documentis probata est. Unde necessariò verum esse debet, quod eadem SS. Corpora in dicto

Wiltpartingensi Monumento olim deposita sint: quo posito, dicendum est, illa usque ad nuperam levationem ibidem permanisse, nisi translata aliò fuisse manifestis argumentis probetur. Atqui hæc argumenta deficiunt, quippe pro quibus servare non potest fama de Translatione; quia, ut modo dictum est, innixa Fundamento suspecto: nec alia Documenta; cum etiam de istorum valore merito dubitetur, ut videbimus in *Respons. ad 13.* Atque hinc Corpora nuper reperta, pro veris Exuviis Sanctorum nostrorum habenda erunt.

38.

Ad 8. Etsi concedatur, quòd fama de perpetua persistentia SS. Corporum in loco Wiltparting per Testes ab Irschenbergensibus allegatos non sufficienter probetur, adhuc tamen Translationi, quamdiu aliis Argumentis, quam hæctenus factum est, illa non probatur, resistit fama, à nemine in controversiam deducta, de primæ sepultura in Wiltparting. & Argumentum, eà supposita, *Num. preced.* factum: nam probatione manifesta opus est, ut sustineri possit asserita Translatio. Cæterum pro fama, ab Irschenbergensibus asserita, allegatis testibus immeritò derogatur fides. Nam i. Etiam viles quoad conditionem suam personæ, & ii, qui de Corpore universitatis sunt, si illi sint bonæ vitæ, & famæ, & deponant de rebus, quæ magis communitati, quam aliis nota sunt, fidem merentur,

ut de prioribus docet *Clar. §. fin. q. 24.*

n. 11. Farin. prax. crim. q. 5 §. n. 82. fin.

de posterioribus idem *Farin. q. 60. n. 496.*

Idem dicendum de fœminis extra causas criminales,

ut patet ex *can. ex eo. 2. caus. 15. q. 3.*

Et *can. videtur. 2. caus. 35. q. 6.*

Et concordant textus Juris Civilis; imò ab hoc istæ admittuntur etiam in criminalibus, prout colligitur ex *l. qui Testamento. 20.*

§. mulier. 6. ff. qui Testam. fac. poss.

ubi ad Testimonium dicendum capaces habentur generaliter, solo Testamento excepto. 2. Testes plerique, qui dicunt, communem vulgi persuasionem antehac fuisse, quòd SS. Corpora fuerint translata Rottam, simul addunt, eam persuasionem non fuisse omnino firmam, cum multi de veritate Translationis istius dubitaverint. 3. Si qua in dictis eorum contradictio reperitur, ea vel non est in substantialibus, vel explicari potest distinguendo tempora; nam translata fuisse persuasum eò usque fuit, quò usque nulla apparuit dubitandi ratio; hac autem proposita, cessavit credulitas pro eadem Translatione concepta. 4. Idem dicendum de falsitate, cujus aliqui ex istis testibus coarguuntur. 5. Denique saltem communis, & indubitata est fama, quæ testatur, SS. Corpora apud Wiltpartingenses fuisse primò deposita, consequenter probat, illa usque ad novissimam levationem apud eos mansisse, nisi manifestis Argumentis probetur Translatio. Ex quo patet

Ad 9. Nam fama illa communis de primæ Sanctorum istorum sepulchro juncta cum insufficientia probationis de Translatione à Rottensibus asserita, non leve, sed fortissimum præbet Fundamentum ad asserendam Corporum recens inventorum cum veris eorundem Sanctorum Exuviis identitatem; nam fama hæc abundè probatur ex ipsismet illis Instrumentis, in quibus Rottenses se fundant; illatio autem, quòd Corpora nuper inventa habenda sint pro Reliquiis Sanctorum nostrorum necessariò sequitur ex hypothese, quòd non sit probata Translatio illorum; nam ex hoc concluditur manifestè identitas; cum alia Corpora in Wiltpartingensi sepulchro inventa non sint. Hinc defectus probationis contra famam, in qua Irschenbergenses se fundant, opponi iisdem nequit. Et esto, non haberet omnia ad famæ probationem requisita, considerandum est, nos hic verari in factò antiquo, quòd hominum memoriam, & ætatem excedit; ubi juxta omnes admittuntur probationes minus accuratæ.

Ad 10. 11. & 12. Sumenda sunt omnia Argumenta Wiltpartingensium simul, scilicet, quòd innegabile sit, Sanctos Marinum, & Anianum apud eos fuisse primò sepultos. 2. Quòd Rottenses non nisi cranii de S. Marino partem, de S. Aniano autem nihil omnino, imò ne locum quidem, ubi istius Corpus, & reliquæ de S. Marino Reliquiæ depositæ sint, monstrare possint. 3. Quòd Documenta, pro Translatione ad ipsos facta, ab iisdem proposita, non concludant; cum vel dubia sint, aut ad controversiam nihil conferant. 4. Quòd in primæ supra dicto sepulchro inventa sint duo Corpora, quorum prius ex situ, colore, & friabilitate ossium, mixtisque carbonibus præsumptionem saltem faciat, illud esse S. Marini, qui per ignem Martyrium passus est; posterius verò S. Aniani esse arguitur; cum ex Historiis constet, ambos uno eodemque sepulchro fuisse conditos. 5. Quòd locum istum DEUS, miraculis, prodigiis, & beneficiis, ad invocationem Sanctorum istorum obtentis, insignem fecerit. 6. Quòd iidem Sancti, ipsūque sepulchrum ab indigenis cum persuasionem, quòd Sacræ illorum Reliquiæ adhuc ibi existant, præcipua in veneratione habitum fuerit. Quæ omnia, licet seorsim accepta fortasè non satis concludant, tamen simul juncta, & stante defectu probationis in contrarium, identitatem evidenter demonstrant. Et quidem

Ad 13. Probationi isti vim suam non tollunt veteres Scripturæ, & Documenta, Historici Patriæ, Collecta, & Orationes, quæ reperiri dicuntur in antiquissimis libris; nec non Lectiones, Autoritate Ecclesiastica approbatæ, & in Festo horum Sanctorum recitari solitæ: nam omnia ista probabilius recentiora sunt, quam Inscriptio sepulchralis, & sic videntur originem suam huic Inscripti-

39.

40.

41.

ptioni debere. Cum ergo, ut *Num. 32.* ostensum est, Inscriptio ista ob manifestum errorem calculi quoad Articulum, qui Translationem concernit, dubiæ fidei sit, etiam majorem fidem non merebuntur Scripturæ istæ, quæ ex dicta Inscriptione probabilius unicum suum fundamentum accipiunt. Neque fidem istorum Documentorum auget, quod sint antiquissima, & desumpta sint ex Archivio Monasterii; nam antiquitas præsumptionem tantum facit, & quidem tantumdiu solum, quamdiu error in tali Documento nullus detegitur: Archivium autem Rottense verè Archivium non est, sed potius Chartophylacium; consequenter chartæ ibi repertæ autoritatem inde nullam accipiunt, sed manent Scriptura privata, quæ contra tertium vim probandi non habet, ut *Num. 36.* dictum est.

42.

Ad 14. Fundatio in honorem Sanctorum istorum facta, solum indicat specialem devotionem, quam erga hos Sanctos habuerunt pii Monasterii Rottenfis Fundatores: non autem inde inferitur, quod eorum Corpora ibi recondita sint; aliàs deberet ibi similiter esse Corpus S. Petri Apostoli, cum etiam in istius honorem fundatum illud fuisse ex Literis Donationis, à Comite Conrado de Wasserburg anno 1073. factæ, constet. Volunt quidem Rottenfes disparitatem erueri ex aliis Literis 10. Calend. Jan. 1233. ubi Fundatores, nulla mentione facta de S. Petro, solum meminerunt SS. Marini, & Aniani, & eos ibi requiescere asserunt, ibi: *Nos eapropter Divino amore accensi, & communiti, Testamentum nostrum adhuc viventes ad Monasterium Rott ob reverentiam SS. Marini, & Aniani ibidem requiescentium --- facere decrevimus &c.* Ex quo volunt inferre, in prioribus Literis Fundatores meminisse S. Petri; quia voluerunt illud immediate subiectum esse Romanæ Sedi, quod in Brevibus suis approbârunt Cælestinus II. & Lucius III. dum verò de SS. Marino, & Aniano loquuntur, indicare voluisse, in horum præcipuè honorem fundatum Monasterium esse, propter realem SS. Pignorum ibi quiescentium existentiam. Quod confirmant ex vetustissimo Ecclesiæ usu, quæ non sinebat similia construi, nisi in locis, ubi Martyres aut passii sunt, aut requiescunt, vel saltem, dum vivebant, domicilium habuerunt. Verum hac explicatio divinatio est. Quamdiu duraverit mos ille Ecclesiæ, sciri non potest; nam antiquissima extant Ecclesiæ, in honorem Sanctorum erectæ, ubi tamen nec Corpora, nec Reliquias eorum existere, aut extitisse constat. Si duravit mos iste adhuc eo tempore, quo constructa est Rottenfis Ecclesia, satisfactum eidem est, quod ibi habeatur pars cranii de S. Marino, à quo S. Anianus, utpote Socius individuus dividi non debuit, licet nihil de eo inveniretur Rottæ. Minoris efficacæ est præsumptio, quam pro se Rottenfes ex Donationibus, ad

ad Altare Sanctorum istorum factis, capiunt: licet enim hujusmodi Donationes plerumque fieri consueverint ad ea Altaria Sanctorum, sub quibus reposita erant Sanctorum Corpora, vel Reliquiæ, tamen istud generale non erat; quippe cum factæ sint, & adhuc fiant tales Donationes ad Altaria Sanctorum, sub quibus nullæ de illis, sed aliæ Reliquiæ custodiuntur. Dum communis eo tempore vox fuit, Sanctos istos quiescere in Rottenfi Ecclesia, intelligendum hoc est juxta morem antiquissimum Germanorum, qui Sanctos requiescere dicunt in iis Ecclesiis, quæ in honorem illorum erectæ sunt, licet nullæ eorum Reliquiæ ibidem reperiantur, aut unquam fuerint.

43.

Ad 15. S. Congregatio, dum Lectiones, in Festo Sanctorum recitandas, approbat, fidem indubitataam iis non adstruit: hinc non veretur in casu, quo successu temporis emergit dubium de ibi recensitis, illas corrigere, prout correxit, & emendavit Lectiones in Festo S. Brunonis, omittendo ea, quæ ibi de Doctore Parisensi recensebantur. Dum Aurisium translata dicuntur SS. Marini, & Aniani Corpora, id non magis Rottenfi, quàm Wiltpartingensi Ecclesiæ favet; nam etiam locus Wiltparting antiquitus Aurisium nuncupatum fuisse dicitur: consequenter Translatio hæc sumi potest de prima illa Translatione, ubi Tolusius Episcopus, & Priamus Sacerdos SS. Corpora Divino monitu decentiori Sepultura in dicto Wiltparting honorârunt. Inter S. Nonnosum, & nostros Sanctos negatur paritas, nam S. Nonnosus Corpus nemo alius se habere prætendit, ac proinde Frisingenses merito illud sibi vindicârunt, etiam si locum nescirent, ubi illud lateret reconditum. Contra de Corporibus Sanctorum nostrorum inter Rottenfes, & Wiltpartingenses contentio est, & hi posteriores firmum satis Fundamentum pro se habent ex primævo eorum sepulchro, & Corporibus nuper repertis. Idem respondendum ad id, quod opponitur de S. Juliana Virgine; nam Instrumentum, ex quo colligitur, illius Corpus requiescere in Isanensi Ecclesia, indubium est; Instrumenta autem, quæ à Rottenfibus afferuntur, contradictionem jure merito patiuntur.

44.

Ad 16. Nulla apparet evidentia, ob quam negari debeat, quod Corpora nuper reperta sint eadem cum SS. Exuviis SS. Marini, & Aniani. Nam 1. Non est tanta dissimilitudo inter partem cranii, quod à Rottenfibus colitur, & inter ossa Corporis superioris, reperti nuper in Wiltpartingensi Sanctorum nostrorum sepulchro; nam ex observatione Medici, & Chirurghi dicta ossa non minus, ac memorata pars cranii signa adustionis manifesta præferunt. Igitur si ex hac causa pars ista pro vera, & Authentica S. Marini Reliquia haberi debet, etiam pro talibus habenda erunt memorata ossa reperta in Wiltparting. Neque

que obstat, quòd dicta pars defectui, quem Calvaria reperta in Wiltparting habet, non correspondeat; nam ex variis frustillis conglutinata est, quæ proinde non uno solum ex loco Calvaria desumpta sunt. 2. Sicut ista pars Cranii de S. Marino, ita aliqua Reliquia de S. Aniano, petentibus fortasse sic Fundatoribus Monasterii, Rottam, deinde pro conclusione Controversiæ, inter Ortonem Palatinum, & Monasterium versantis, Frisingam transferri potuit: ut proinde contra identitatem alterius Corporis cum Exuviis S. Aniani Argumentum duci non possit. Contra quam etiam non pugnat, quòd ossa istius Corporis inventa fuerint in pulcherrimo, & connaturali ordine posita; nam hoc mirum esse non debet, si verum est, quod ipsimet Rottenses asserunt, scilicet, quòd Sacra Corpora, præsertim S. Aniani, cum primitus Divino monitu reperta sunt, inventa fuerint incorrupta. 3. Fortasse tunc, quando ad Ecclesiam Wiltpartingensem translata sunt, nondum honorem, cultumque publicum Sancti isti ab Ecclesia obtinuerunt; ut proinde Reliquias illorum non licuerit modo Sanctis debito exornare. 4. Non obest, quòd apud recens reperta Corpora nulla sit inventa Scriptura, Tabula &c. quæ identitatem illorum cum Reliquiis SS. Marini, & Aniani doceret; nam juxta doctrinam communem identitas rei non probatur solâ Scripturâ, sed etiam conjecturis, & præsumptionibus, opinione vulgi, & famâ publicâ,

ut tradunt Menoch. l. 6. præsumpt. i. §. n. 2. Mascard. de probat. concl. 875. n. 6. & 9. & magis ad præsentem Questionem Matthæucc. de caus. Beatif. & Canoniz. quest. proam. n. 49.

Imò ipsa Inscriptio Monumenti Wiltpartingensis ostendit, Sanctos istos ibidem sepultos fuisse; consequenter probat, Corpora ibi nunc reperta ad illos pertinere, nisi probentur esse translata aliò. 5. Sicut Irschenbergenses, Sanctos illos devenerunt, Processiones statas instituunt Rottam, ita Rottenses in similibus Processionibus venire solent in Wiltparting: proinde ex solis Processionibus, se junctis aliis probationibus & præsumptionibus, pro neutra parte ducitur utile aliquod Argumentum. Quòd verb Parochi Irschenbergenses Missæ solenni, quam ea occasione cantaverunt, inseruerint Collectam, & huic memoriam Translationis, factum est ideo, quia ante reperta Wiltpartingæ duo hæc Corpora aliud non sciverunt, vel saltem dubium iisdem fuit; in quo dubio prudenter se accommodaverunt Monasterio, contententi, se Sacra hæc Pignora possidere.

45.

Ad 17. Non videtur esse periculum, ne S. Congregatio, si nunc decernat, Corpora nuper reperta in Wiltparting, esse veras Sanctorum Marini, & Aniani, Reliquias, & ideo cultum illarum publicum, expositionemque concedat, suo tempore, inventis scilicet in

Rottensi Ecclesia veris dictorum Sanctorum Reliquiis, Declarationem hanc suam cum probro suo, & aliorum scandalo reformare cogatur; nam pro identitate stant talia Argumenta, quæ certitudinem moralem faciant; consequenter debent sufficere ad discernendam hanc identitatem; nam certum moraliter dicitur, qui prudenter, & non temerè credit. Neque obstat, quòd credulitas hæc fallere possit; quia,

ut Suar. in 3. p. D. 55. sect. 5. §. sed quæret aliquis. notat,

piè credendum est, non permissurum DEUM hujusmodi errorem in cultu publico, maxime, si hic concedatur Authoritate Ecclesiastica, & Apostolica à S. Congreg. post negotium bene, maturèque examinatum. Et esto, sit aliquod periculum erroris, error iste solummodo materialis esset; nam reipsa cultus exhibetur ipsi Sancto, quem Judicio Ecclesiæ constat esse in cælo. Proinde probum nullum, aut Scandalum prudens sequeretur, si in casu aliquo, moraliter nunquam futuro, in Ecclesia Rottensi invenirentur Reliquiæ Sanctorum istorum cum iis signis, & indicis, quæ identitatem doceant. Multò minus probro cederet, & scandalo daretur causa, si S. Congregatio, postquam perpenis, & maturè discussis, quæ ab Irschenbergensibus afferuntur, pro Corporum nuper inventorum identitate ferret sententiam, & juberet in Lectionibus omitti verba, quæ Translationem in Rott factam commemorant; versamur enim in Questione Facti; circa cujusmodi Questiones ne quidem Pontifex est infallibilis. Discrimen, quod Rottenses inter approbationem, & expositionem Reliquiarum, & inter approbatarum, expositarumque cultum faciunt, hoc evincit, quòd, ut approbari, exponique pro cultu publico possint Reliquiæ, requiratur matura, cautaque deliberatio, ita, ut de veritate illarum nullum adsit morale dubium: quali diligentia opus non est, ut approbatas, & expositas possimus licite venerari. In casu præsentis, ut Num. 31. dictum est, & patet ex aliis hic dictis, nullum adest morale dubium. Si occasione talis correctionis, & Sententiæ aliqui imprudenter trahere in dubium vellent alias Reliquias, Authoritate Ecclesiastica approbatas, & sic edocniti, ut labefactaretur debita erga SS. Reliquias veneratio, id esset Scandalum acceptum, non datum, cum formula S. Synodi Tridentinæ, qua Fidem profiteamur, nos doceat, Sanctorum Reliquias esse colendas, & venerandas. Et hinc fit

Resolutio præsentis Controversiæ.

Judico enim 1. Rottenses intentionem suam, qua prætendunt, Sacra SS. Marini, & Aniani Corpora apud se existere, hucusque non satis probasse, ita, ut pro illis pronuntiarî

46.

sen-

sententia possit, prout constat ex Responsionibus ad eorum Argumenta à Num. 31.

Judico 2. Ex Argumentis, quæ ab Irtschenbergenfibus afferuntur, aliqua esse satis infirma, qualis præcipuè est fama, quatenus testes ab ipsis allegati dicunt, communem persuasionem indigenarum semper fuisse, quòd dicta SS. Corpora continuò in Monumento Wiltpartingensi permanferint : quia constat ex Num. 20. communiùs, antequam Corpora, in eodem Wiltpartingensi Sepulchro nuper reperta, detegerentur, ab iisdem indigenis fuisse constanter creditum, ea fuisse translata Rottam: Item, quòd afferunt de spontaneo Campanarum fonitu, prout patet ex Num. 25. Unde his sepositis,

47. Judico 3. Cætera Argumenta, licet sigillatim, & seorsim sumpta rem non evincant, tamen simul sumpta certitudinem moralem facere, ut videre est ex dictis Num. 40. Nam ex his arguere licet in modum sequentem. Sacra hæc Corpora in primævo suo sepulchro mansisse semper dici debent, quamdiu translata alibi esse non probatur: atqui ex una parte per famam communem, Historias, Documenta antiqua, & consensum ipsorum Rottensium constat, primævum Sanctorum istorum sepulchrum fuisse in Wiltparting; ex altera verò parte non est concludenter probata Translatio eorum in alium locum: ergo dici debet, quòd eadem SS. Corpora in eodem Wiltpartingensi sepulchro semper permanferint. Quo posito,

48. Judico 4. Identitatem Corporum nuper repertorum concludenter probari ex reliquis Argumentis. Nam si Sanctorum nostro-

rum ossa ex hoc sepulchro nunquam translata sunt, ea identica erunt cum nuper repertis, præsertim cum ut Num. 10. & duob. seqq. est dictum, ex situ, colore, & aliis circumstantiis pro iisdem Corporibus adfit præsumptio adeò vehemens, ut ea omne Dubium morale videatur tollere, juxta Num. 31. Hinc

Judico 5. Posse à S. Congregatione datam à Celsissimo Frisingensi Sententiam confirmari, & pronuntiari, bene fuisse judicatum, malè appellatum. Ex quo proin sequitur Reliquias, de quibus in casu præsentis est Quæstio, tutò ad Cultum publicum exponi posse. Neque obstat, quòd Argumenta, pro his allata, demonstrativa non sint; nam in hoc negotio non est necessaria certitudo absoluta, & physica (imò hæc fortè est impossibilis) sed sufficit moralis, seu talis, quæ, consideratis omnibus, prudentem assensum mereatur: hujusmodi autem certitudo videtur ex hæcenus dictis certò adesse; ut proinde quale quale periculum erroris, quòd hic versatur, curari non debeat; cum Sancti isti sint in possessione primævi sui sepulchri; ex qua proinde dejiciendi non sunt, donec contrarium Argumentis idoneis comprobetur. Interim tamen

Judico 6. Antequam Reliquiis nuper inventis Cultus publicus indulgeatur, posse concedi Rottensibus terminum aliquem temporis, intra quòd liceat ipsis in Ecclesia sua inquirere, an Sanctorum nostrorum Reliquias, quas penes se existere afferunt, in aliquo istius loco invenire possint.

49.

50.

CONSILIUM XXIII.

In Caufa Testamenti Reciproci inter Conjuges.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. Facti Species.
4. Fundamenta Actoris.
5. 6. Testamentum Reciprocum pro duobus Testamentis est habendum.
7. 8. Non habendum est pro pacto inter viros.
9. Pacta inter Conjuges qualia sint, dignoscitur ex verbis.
10. An Testamentum Quæst. habeat rationem Fideicommissi?
11. 12. 13. Substitutio Fideicommissaria liquè probanda est, secus habebitur pro vulgari.
14. & seqq. An Reciprocum Testamentum à Marito supersistere possit revocari?
21. & seqq. Potest revocari à Marito, saltem pro sua parte.
29. 30. 31. An posterius Testamentum, ab

eodem Marito erectum, sit validum, & Testamentum prius Reciprocum per illud fuerit revocatum?

32. & seqq. Resolutio affirmativa. Solutio oppositorum. Ex Renuntiatione de facto non infertur Jus præhabutum.

33. Qualitas, qua naturaliter inest homini, semper adesse præsumitur, nisi probetur contrarium.

34. Defectus causa impulsiva tum demum ultimam defuncti voluntatem facit cessare, si probetur restatorem sine illa non fuisse ita dispositurum.

35. seqq. Liberi Fratrum, & Sororum non possunt conqueri, si à Patre prætereantur in Testamento.

39. Bo.